# ANTONII DE HAEN

S. C. R. A. MAJESTATIS CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
NEC NON MEDICINÆ IN HAC ALMA ET ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE PROFESSORIS PRIMARII,

# PARS SEXTA RATIONIS MEDENDI IN NOSOCOMIO PRACTICO;

QUOD IN GRATIAM ET EMOLUMENTUM MEDICINÆ STUDIOSORUM

CONDIDIT

MARIA THERESIA,

AUGUSTISSIMA ROMANORUM IMPERATRIX,

HUNG. BOHEM. &c. REGINA &c. &c.

VIENNÆ AUSTRIÆ,
SUMPTIBUS HERMANNI JOSEPHI KRÜCHTEN.
M. DCC. LXI.

Crawford

SACRÆ, CÆSAREÆ, REGIÆ, APOSTOLICÆ,
MAJESTATI,
AUGUSTISSIMÆ ROMANORUM
IMPERATRICI,
HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ
CROATIÆ, SCLAVONIÆ, &c. &c.
REGINÆ,
ARCHIDUCI AUSTRIÆ, &c. &c.
MARIÆ THERESIÆ,
DOMINÆ
SUÆ CLEMENTISSIMÆ,
ANTONIUS DE HAEN.

*Mole grandescit, quod ad pedes* MAJESTATIS TUÆ *annuum depono opus: quo-*

*niam primo frequentioris experimenti ſeſe obtulit occaſio; deinde arcanas Naturæ leges inveſtigandi ardor Inventis ingeminabatur; tandem diſcendi avida, atque inſatiabilis, Juventus Academica, nova indies a me expectavit, peti-*

*ti-*

*tivit, ursit. Symbolam contulit longe frequentius Chirurgiæ, Medicinæ genuinæ Sororis, exercitium. Quin etiam notabiles, damnosique in Arte errores, examinandi, atque expugnandi fuerant. Crevit sic in immensum*

*Labor, ſed una cum labore Voluptas: cum quod Artem purificare, & amplificare poſſe, jucundiſſimum ſit; tum quod eo majorem benevolentiam, eo gratioſiorem* MAJESTATIS TUÆ *favorem, me mihi conciliaturum certo noſ-*

*ſem,*

*ſem, quo demandatam abs* TE *provinciam majori cum ardore, diſcentiumque emolumento, excoluiſſem.*

Die 26. Octobris
1761.

ELEN-

# ELENCHUS CAPITUM.



CA-

# CAPUT I.

# DE CARDIALGIA CHRONICA.

§. I. *Cardialgia multis oriunda de caufis, protopathica datur, & deuteropathica.* §. II. *Scirrhi, ut caufæ, fufpicionem tum diuturnitas morbi, tum ejusdem pertinacia, haud immerito fecerunt; interea dum remedia nonnulla diu conftanterque adhibita, conftantemque fanitatem operata, clare demonftrent necdum fcirrhum adfuiffe, fed alias pertinaces caufas.* §. III. *Nihilominus frequens heu nimium! Cardialgiæ caufa fcirrhus eft, quem cognofcendum regulæ artis fæpenumero quidem dant, quanam vero in parte is refideat, rarius viventibus ægris, frequentius in denatis, certo novimus.* §. IV. *Caufa in Pyloro protopathica dum adeft in nonnullis, jugi ingeftorum vix mutatorum vomitu fe prodit, in aliis minime: probatur utrumque exemplis.* §. V. *Frequentior ea*

*nihilominus Observatio est, quod vomitus ille adsit, dum vel causa protopathica in Pyloro, vel deuteropathica pone Pylorum est, quam quod non adsit. Historiæ id confirmantes.* §. VI. *Solet eo in casu ventriculus vehementer augeri, nonnunquam sola amplitudine, aliquoties etiam crassitie : vix capitur vera hujus differentiæ ex observationibus causa.* §. VII. *Quæstio hæc ad plura cava viscera adplicata, varietatem detegit eandem. Discrepantia sententiarum circa uterum aufertur exemplis, quæ indubie demonstrent illum crescendo haud amittere crassitiem, quam non impraegnatus habebat. Tubæ, Ovaria, Hydatides, quoque crassitudine tunicarum passim augentur.* §. VIII. *Confirmatur argumentum de difficiliore hujus morbi Diagnosi; dum vomitus vix mutatorum ingestorum diuturni latentissima & insolita plane causa nonnunquam deprehenditur. Prudentia & Præcautiones commendantur, dum ejusmodi insolitæ causæ suspicio est.*

§. I. CArdialgiam Chronicam hic describere animus non est, sufficienter id scholis, scriptisque Medicorum præstantibus; verum ea potius communicare, quæ propriæ observationes ad illam elucidandam contu-

tulerint. Quod ordine ut faciam, præmittere debebo recensionem variarum admodum partium viscerumque, in quibus hic morbus sedem, originemque, unquam habuisse inventus est.

Ac primo quidem ipse Ventriculus cum Pyloro recensetur, suo affectus in cavo, substantiave. Estque tunc Protopathica Cardialgia, quo etiam eæ species pro parte referendæ, quæ N° 28. 29. 30. 31. recensebuntur. 2. Oesophagus pone ventriculum. 3. Diaphragma. 4. Pancreas. 5. Duodenum. 6. Omentum. 7. Hepar. 8. Splen. 9. Sternum aut mucrone suo, aut adnato sibi tumore. 10. Musculi Recti Abdominis. 11. Vesicula fellis. 12. Mesenterium. 13. Renes & Ureteres. 14. Uterus. 15. Ovaria. 16. Tuba Fallopii. 17. Præternaturales Con-

cretiones ac Tumores, in appendicibus per Abdomen adipofis. 18. Hydatides. 19. Aqua, Serum, Pus, Ichor, Mucus, Sanies, aut quicunque alii liquores, five in vacuum effufi Abdomen, five faccis, hydatidibusque contenti. 20. Affectiones fpermaticorum vaforum. 21. Aneuryfmata varia. 22. Vifcerum variorum degeneratio. 23. Mutuaque eorundem inter fefe concretio. 24. Hernia levior, euns, redeuns, fæpe ignota. 25. Prolapfus uteri ac vaginæ varius. 26. Multiplicia inteftinorum incommoda. 27. Cephalæa. 28. Nimia debilis ventriculi fenfilitas. 29. Hyftericus clavus. 30. Peculiares atque infuperabiles ventriculi crampi dicti. 31. Humores acidi, alcalini, fordes, vermes, in ventriculo fixi aut perpetui.

De

De Cardialgia in enumeratorum partium una, pluribusve, ſede; a recenſitarum una, pluribusve, cauſis; innumera quidem exempla nos convincunt; at vero cum de Cardialgia, ut monui, tractatum non conſcribam, ea modo tangam, circa quæ mea, aliorumque, ſive nuperrimæ, ſive ſaltem necdum publice editæ obſervationes, verſantur. Si qua tandem veterum obſervata ſimile quid innuant, ea quoque recenſebo.

Multis admodum ventriculus, longo annorum ſpatio, irrito artis conamine, dolet, nauſeat, vomit; & his quidem perpetuo, aliis vero periodice.

Emetica, alvi purgationes, antacida, roborantia, nervina, carminantia, opiata, haud raro, ſive ſingula, ſive ſuccedente ordine data fuerint, levamen afferunt, at paſſim fugax

gax illud, atque inconſtans, ſæpe omnino fallax. His omnibus vel Protopathicum malum eſt, quibus ventriculus debilis, aut ſenſibiliſſimus, aut multo acore obſeſſus, aut in fabrica ſua varii generis tumores gerit; vel eſt deuteropathicum, dum vel corrupti humores ex Inteſtinis, perque Inteſtina, aut vermes, aut ſordes, multave bilis in πικρόχολοις ἀνὼ, in ventriculum ſæpius, inexhauſtoque fonte, irrepunt: maxime autem quando ille adjacentium partium tumore, duritie, ſcirrho, premitur, vellicatur, continuoque irritatur.

§. II. Quos mihi hoc morbo laborantes videre contigit, annoſum admodum malum paſſim hi teſtabantur, & ad oblata auxilia rebelle. Unde ſcirrhi, aliusve generis tumoris, ſive Ventriculi Pylorique, ſive partium vicinarum, Ventriculum aut Pylorum

com-

comprimentis, vehemens ſæpe ſuſpicio mihi nata eſt. Incertus tamen atque animo fluctuans, dum ſequentia adhibebam, dicere vix poſſum, quam multis integram attulerim ſanitatem, adeoque omnem apud illos ſcirrhorum ſuſpicionem mente excuſſerim. Præfari autem oportet Incomparabili *Boerhaavio* me hanc methodum debere.

Primo ad externam ventriculi regionem ſequens admovi Emplaſtrum: ℞. Empl. de Labd. vel Diabot. unc. jß. Camphoræ, Opii crudi, a ſcrup. ß. gr. xv. ſcrup. j. Balſ. peruv. q. ſ. M. Diu gerendum hoc Emplaſtrum fuit, dumque laberetur, reficiendum. Et ſi quis cutis ardor, vel effloreſcentia in nonnullis ejusdem ablationem nonnunquam poſceret, adplicationis continuationem cutis denuo in plerisque

admiſit, ſi ſæpius ſapone cum lacte lota, fotaque fuerat. Deinde aſſumſere quovis bihorio aut trihorio cochlearia duo Miſturæ hujus: ℞. Lap. Cancror. unc. β. Ol. ſtill. Menthæ cum Sacchari dr. iij. in Elæoſacch. redacti gtt. x. Spir. Menthæ unc. j. Laud. Liq. Syd. dr. β. Syr. Menth. unc. j. Aq. Menth. unc. viij. Eſt id genus hominibus tarda paſſim & ſicca alvus: quemadmodum alias ſæpius adverti, ita hic quoque plures fuere, quibus Opium & Carminantia hujus miſturæ alvum maxime naturalem redderent, vel operationem levioris ſubinde dati purgantis egregiam perficerent. Haud defuere tamen nonnulli, quibus vis Acidi potentior, datis cum miſtura pilulis ex Sap. Veneto copioſo, cum pauco ſtimulo gum. ammon. & maſ. pill. Ruffi, infringi debuerit. Dabantur quoque, quibus ventriculi non

ita

ita acor, ſed potius frequens ſpaſmus & debilitas, dolorem concomitari viderentur: his ſumme conditum hoc profuit: ℞. Cort. peruv. unc. iij. Camphor. Myrrh. a dr. jß. Syr. Diacod. & Menth. a unc. iijß. M. ut ſexies de die magnitudinis nucis moſchatæ fruſtulum ſumerent. Aderant, quibus opii majorem longe doſim, ad noctem præcipue, dari oportuerit. Multi ſane homines a Cardialgia penitus cónvaluerunt, modo, durante cura, exacte abſtinerent ab iis, quæ difficulter digeruntur, & a Lacte, Caſeo, Aceto, Vinis acidis; diætamque Alcaleſcentem obſervarent.

Hæc, inquam, dando, his proficiendo, tandem didici inveteratos ejusmodi Cardialgicos, eo quod Medicamenta ſine curæ ſtabilitate per annos abligurierint, incurabiles fere, ſcirrhoque ventriculi, aut partium

pone illum ſitarum, laborantes haberi; curam tamen & integram, & perſeverantem has ſcirrhi ſuſpiciones plane abigere. Concludere hinc debui plures dari, quibus immodicus ventriculi acor fere indomabilis adeſſet, quibus debilitas ventriculi foret inſuperabilis, quosque a flatibus, a ſpaſmis, a convulſionibus primarum viarum liberare, ferme impoſſibile videretur; licet nunc antacida, nunc paregorica, alio tempore purgantia, alio iterum roborantia, & carminantia dicta, ipſis ſæpius exhiberentur; eo quod optima hæc remedia nec ſufficiente copia, nec tempore haud interrupto, nec multa horum ſociata, nec longo poſt ſynptomatum ſilentium tempore, ſumerentur.

§. III. Quamvis hæc ita ſe habeant, ultro tamen fatendum eſt, Ventriculi, Oeſophagi, Pylori, partium-

tiumque hisce vicinarum ſcirrhum, morbum frequentem eſſe, quem palliamus potius, quam curamus; niſi initio advocati, & ſigna ejus certiora contemplati, quam quidem in caſibus §. II. leniſſimis ſolventibus, & præprimis copioſiſſimo, eodemque pertinaci mellis uſu, naſcentem hanc Diatheſim diſſolvamus. Hinc juvat mente præſentia hæc ſigna gerere, quæ Ars obſervanda detexit.

Sunt 1. cauſæ prægreſſæ, ut v. g. ventriculi Inflammatio, nec benigna reſolutione, nec critica evacuatione ſoluta. 2. Mali diuturnitas. 3. Pertinacia ejusdem ad ſelecta remedia. 4. Vomitus frequens ſub actu digeſtionis. 5. Loci pondus. 6. Dolorum moderamen a fortiore ventriculi, abdominisque compreſſione. 7. Ventris externi tactus. 8. Vitia affecti viſceris, quod, defectu ſecre-

tio-

tionis, corporis œconomiam plus, minus, turbat.

Exacte locum determinare indurati tumoris, ſive ipſo in ventriculo hærentis, ſive ejus, qui in vicinia natus ventriculum premit, facile nonnunquam datur, aliquando difficulter, ſæpe vero neutiquam. Tot hinc in conſultationibus litigia. Verſati utcunque in Anatomicis Medici, qui ſemel iterumque Pancreas ſcirrhoſum invenere; idem poſthac perpetuo accuſant: legerunt alii, videruntque ex ipſo Meſenterio enatum tumorem, qui ſurſum vergens ventriculo in functionibus ſuis impedimento fuerit; nihil in poſterum, niſi Meſenterium clamant. Sic iterum alii aliud. At vero ingenue fateamur certa ſigna rariſſime dari, quæ ex innumeris cauſis veram determinent, quæ locum, quo tumor hæreat, quæ viſcus, quod

oc-

occupet, quæ modum impedimenti, naturamque, examuſſim explicet. Cadavera paſſim nos erroneæ convincunt ſententiæ. Exemplis videre juvat.

§. IV. Perilluſtris ac longe doctiſſimus, expertiſſimusque Vir, *G. Macneven o Kelly ab Agrim*, Fac. Med. *Prag*. Director ſapientiſſimus, conſummatus Pathologiæ ibidem Profeſſor, verum noſtræ Artis ornamentum, edidit 1760. Diſſertationem de *Raro Ventriculi caſu*, in quo vomitus ingeſtorum vix mutatorum, in provecto admodum morbo, impedimentum circa Pylorum hærere indicabat. Probabilis ſane hæc dicta de cauſa ſententia erat; haud tamen ita, ut una conſtaret utrum in ipſa Pylori ſubſtantia, an in circumjacentibus partibus, hæreret id, quidquid eſſet demum, obſtaculi. Cadaveris autem ſectione

pa-

patuit ſcirrhum adeſſe, eumque ita totum ambitum occupare Pylori, ut tranſitus per illum vix ſetæ mediocri concederetur. Eo obſtaculo effectum id, ut eam ſenſim in molem creverit ventriculus, quæ, ſacci inſtar, univerſum expleret abdomen, ſuoque fundo inter Rectum & Veſicam inſinuans ſeſe, ſimul cauſa teneſmi extitiſſet, frequentisque ſtranguriæ. Ingens adeo hic ventriculus, ut, referente Claro Autore, „ filum arcui
„ majori circumductum, antequam
„ evacuaretur, ulnam Bohemicam,
„ cum tribus quadrantibus, & duo-
„ bus pollicibus æquaret: minor ar-
„ cus tres daret quadrantes, cum
„ uno pollice.

2. Apud *Riverium* obſervatio *A. Jodon*, *Antiſſiodorenſis* Medici, habetur, hominis nempe qui integro triennio cum tumidiſſimo ventre *ſine vomi-*

*tu*

*tu* conflictatus, demum febre & anxietatibus emaciatus, periit. Ipsus *Jodon*, qui hiſtoriam narrat, Anatomen fecit. Hydatis magna in medio pendebat Pyloro, hydatidibus tota ſcatebat univerſi ventriculi interior ſuperficies: liquidum vero in hoc ventriculo contentum *nonaginta librarum* pondere fuit. Ventriculus medius diſſectus, ſuperabat ulnam *Pariſienſem* (quæ media parte *Vienneſi* longior) ambo ventriculi ora fere juncta erant. Hic autem homo cur non vomuerit? Quia ventriculus cum Peritonæo arcte connatus. Igitur hic videmus caſum, in quo cum omnibus vomendi cauſis vomitus fuit impoſſibilis. *Blancard* Cent. 1. N° 84. vel ipſiſſimam hiſtoriam habuit, vel eam *Jodonis* inter ſuas retulit.

3. Et rarior ille caſus, quem Tom. 5. Cap. 2. pag. 38. *Rat. Med.* dedi,

in

in quo ventriculi pars prope Pylorum, ipſeque Pylorus, Omenti parvi *Winslowi* craſſa duraque productione premebantur, ac præterea peculiari extrinſecus adnato tumore Pylorus compreſſus erat; ille, inquam, caſus vomitum cetera inevitabilem, tamen impoſſibilem fuiſſe oſtendit, præ ponderoſiſſimo, rigidiſſimoque omento, ventriculum immobilem figente.

4. Quid mirabilius, quam quod 10. Aprilis 1758. in publico Auditorio circa hoc ipſum negotium demonſtraverim! Ventriculus primo formabat lagenam, ſiniſtrorſum productam, 3½. pollicum; deinde ex fundi ſui latere dextro tubum emittebat, diametri ſex linearum, qui pedetentim ad ſesqui pollicis amplitudinem lateſcens, longitudinemque 4½. pollicum æquans, demum Pylorum

for-

formabat, & in Duodenum abibat. Pinguis moles ventriculo adnata, magnamque adepta duritiem, in causa fuerat, cur ventriculus hanc assumsisset figuram. Interim homo hic, cujus morbum Cap. 4. probl. 8. enarrabo, ante ultimum suum ac brevem morbum nunquam vomuit. Cujus miri phenomeni si a me causa quæritur, aliam non novi, nisi quod Natura nonnunquam sese monstrosis accommodet. Et quidni? Antiquos scirrhos in cadaveribus reperimus, qui sui signa ita per annos dederint, ut homines subinde per plures septimanas, mensesve, a quovis dolore ac vomitu liberi vixerint. Cur, quod per menses, id quoque non posset per annos, non posset per totam contingere vitam?

5. Aurifaber *Riverii* Cent. 1. N°. 90. ingentem Pancreatis ac Mesenterii

ſcirrhum geſſit, qui Pylorum, Jejunique principium, ita anguſtaret, ut omnis fere præcluderetur tranſitus, quique dolores crearet enormes. Hic homo a tribus ſaltem menſibus, antequam adeſſet ipſi *Riverius*, & aliquo adhuc poſtmodum tempore, neque ſponte vomuit, neque dato Emetico vomere potuit, niſi eodem repetito; quamvis ventriculus materie eſculenta & potulenta plenus a morte inveniretur. Cur non vomuerit, data hiſtoria non exponit: cum autem ex Natura morbi vomere debuerit, nec vomuerit tamen, videmus plures dari, qui cum omnibus vomendi cauſis neutiquam vomant.

§. V. Igitur ut in quibuscunque fere aliis morbis, ita quoque hic miras detegimus exceptiones. Cæterum, ſi nec ventriculus manifeſto aliis de cauſis a vomitu impediatur, nec forte

ærum-

ærumnis hisce aſſueſcat ſic, ut inde ad vomitum non proritetur, ſolent paſſim id genus hominum vomere, hocque mox, aut brevi poſt aſſumpta; quæ tunc fere immutata prodire cernas. Centena id demonſtrant exempla. Novendecim anni ſunt, quod publice ediderim Anatomen feminæ, perpetuo vomentis immutata ſæpe ingeſta; qua conſtitit omentum geminos digitos craſſum adhæſiſſe ventriculo, jecinori, inteſtinis, colo, jejuno, duodeno, omnesque has partes in unam veluti faſciam, contraxiſſe.

Obiit 19. Aprilis Anni præſentis Prænobilis ſanitatis Conſiliarius, ac præſtantiſſimus Medicus, *Leopoldus Erndl*, qui ſane noverat 15. annorum ſpatio immedicabilem ſui ventriculi morbum, vomitusque frequentes, prudentia, & ſolertia ſua ita pal-

liare, & moderare, ut in 45. ætatis annum vitam suam inter labores practicos, Vir Deo & hominibus carus, produxerit. Invenimus porro ventriculum sic se habentem: primo instar inversæ lagenæ longitudine $8\frac{1}{2}$. pollicum, ad umbilicum fere usque descendebat, inde angulo facto assurgens, atque canalem quatuor pollices longum formans, ad Pylorum petebat.

Porro hujus miri phænomeni gemina patuit causa mechanica; quarum prima ventriculus in genere extendendus, altera in hanc præcipue formam mutandus fuerit. Scilicet Pancreas sensim indurescens, auctaque tumescens mole, compresserat retroflexum a Pyloro Duodenum; quo effectum id, ut Duodenum contra vertebras Dorsi pressum, Chymum ventriculo pulsum sæpe retardaverit,

imo

imo demoratum ſit. Hæc igitur vera cauſa ventriculi univerſalis diſtenſionis, utpote accipientis, nec niſi per lucida intervalla dimittentis. At vero immenſum jecur æque in toto latere ſiniſtro, quam in dextro, ultra umbilicum productum, ſic formatum erat, ut ſub lobo ſiniſtro ſuo, utpote tenuiore, ventriculus in craſſæ lagenæ ventrem abire potuerit; lobo autem dextro admodum craſſo, idem ventriculus non potuerit in latus diſtendi; ſed unice ſupra umbilicum, ubi aliquod ſpatium inter utriusque lobi pendentis crepidines nactus, anguſtus plane ille ut oblongum lagenæ collum, aliquantiſper decurrebat, & angulo facto aſſurgebat, itidemque ſub craſſiſſimo lobo Hepatis dextro, anguſtiore tubo ad Pylorum pergebat. Ita ut evidens ſic fiat, quod dixi, Duodeni compreſſione oportuiſ-

 ſe,

ſe, ut univerſus ventriculus ſenſim diſtenderetur; monſtroſa jecinoris forma contigiſſe, ut in ſua diſtenſione ventriculus in hanc figuram potiſſimum mutaretur.

§. VI. Expedit meditationem ſuper hisce malis ultra producere. Viſcera cava, Tumores cyſtici, Aneuryſmata, uno in corpore reperiuntur eo tenuiora, quo expanſiora; in alio vero quo ampliora, eo craſſiora. An lenta extenſione, craſſitudinem; cita, tunicorum extenuationem referant? id Anatome non ita admittit. In hiſtoria *Ill. Mac-neven*, ut ſenſim mole ventriculus, ita & crevit ſubſtantia. E contrario ſcirrhus ingens *Octaviani a Taxis*, Pylorum *ſenſim* anguſtando, in cauſa quidem fuerat, ut immenſum ventriculus diſtenderetur, haud vero ut augeretur craſſitie, cum *Högſtettero* ſolito tenuatior inventus ſit:

&

& licet Optimi *Erndl* ventriculus non niſi lentiſſime diſtentus ſit, incraſſatas tamen tunicas non habuit. In cadavere, cujus Hiſtoriam Cap. 3. §. 2. dabo, cupido me invaſit capacitatem menſurandi ventriculi, qui lenta & continuata per annos epulatione pedetentim in magnum ſaccum abiverat. Menſura male capta fuit, nam antequam Pylorum ligaremus, neglexeramus ventriculum a multa copia contentorum, qua utcunque turgebat, exonerare. Nihilominus quinque menſuras, ſive viginti libras aquæ commode infudimus, plus infuſuri, ſi ejusdem prope æſophagum tenuitas, qua illum digitis ad infundendam aquam dilatabamus, profunde dilacerata non fuiſſet. Ut eo loco, ſic ubique membranarum ventriculi tenuitas deprehendebatur.

§. VII. Differentia igitur magna in ampliato ventriculo, lente quantumvis diſtento, obſervatur. In veſica fellea, & urinaria, pro diſtenſione tenuitas creſcere ſolet. Sed quid demum de utero eſt?

*Galenus* L. de uteri Anatome Cap. 8. pag. 280. apud *Charterium* in Tom. 4. „ uterus in principio conceptus „ craſſus, cum prope tempus pariendi accedit, magnus quidem ſed „ tenuis: craſſitudo enim in longitudinem extenſa abſumitur „. Eodemque *Charterii* Tomo pag. 653. *Galenus* idem repetit Lib. 14. Libr. de uſu part. Cap. 14. Cum ſubſequentium ſæculorum Autores, & Arabum ſchola, non niſi in *Galeni* verba jurarent, nec facilis daretur occaſio examinis gravidi uteri, mirari non oportet, quod in poſtrema usque hæc tempora apud omnes paſſim Medicos,

imo

imo etiam celebres Anatomicos, v. g. *Veſalium*, receptiſſima ſententia hæc fuerit. Contrarium tamen aſſeruerunt *Du Laurent*, *Riolanus*, *Bartholinus*, *Plazzonius*, *Harvæus*, aliique. Sic demum magna hæc quæſtio devolvebatur ad *Moricæum*, qui antequam ſua ederet, jam magnam vitæ partem circa uterum, & in utero triverat. Audacter ille *Galeni* ſententiam tuitus eſt, & putavit meridiana luce ſe eam clariorem demonſtraſſe. Putat *Moricæus*, plures ideo ſuppoſuiſſe non extenuari gravidos uteros, quod viderint craſſiores eosdem manere, qua parte placentam habeant, ſtatuerintque ut ibidem, ita ſe habere ubique; porro id falſum eſſe, & uterum cæterum pro ratione extenſionis tenuiorem fieri. La *Motte*, *Trew*, *Moebius*, pluresque alii, uterum ſaltem non minui a naturali in non im-

prægnatis craſſitie; *Sylvius*, *Heyſter*, *Palſinus*, aliique uterum ſcribunt craſſiorem naturali reddi.

Incomparabilis *Albinus* hic præprimis laudandus, qui nobis naturali forma dederit uteri gravidi figuras egregias, varioque aſpectu contemplandas, in quibus uterum cernimus, minime pro ratione extenſionis extenuatum. Egregius, & vere Doctiſſimus *Noordwyk*, in ſua uteri gravidi Anatome in 4to edita 1743. idem in utero, forte 5. menſes gravido, demonſtravit. Tandem teſtis autoptes rem pulcra occaſione contemplatus ſum *Hagæ Batavorum* 26. Maji 1751. Gallica femina ſeptem menſibus gravida, infantis ad finem usque experta motum, phthiſi pulmonali moribunda jam, Rev. P. Carmelitæ *Cyrilli* cura omnis eo tendebat, ut mox ab ejus morte tentaretur, an civis Rei-

pu-

publicæ, an Ecclesiæ membrum, ſubita ſectione ſervari forte poſſet. Hinc rogabar, ut proximis in ædibus cum Chirurgo, eo fine præſentem me ſiſterem. Unde quo momento moriebatur, intrantes examinabamus, num vere mortua eſſet? maritumque & feminas adſtantes rogabamus, num vere mortuam eam crederent? annuentibus cunctis opus aggreſſi ſumus. Uterum dextro in latere incidentes, vitaturi placentam, in eandem pervenimus tamen. Hinc fruſtra copioſum ſanguinem vi ex vaſis linearum duarum lumine vidimus proſilientem. Oppoſito igitur in latere mox ſecantes digiti ubique craſſitudinem uteri offendimus. Craſſior antea certe fuit, cum ab ipſo primo ſectionis inceptæ momento rivatim effluens cruor aliquem craſſitudinis collapſum effecerit oporteat. Mem-

bra-

branis pertuſis vi aqua proſiliit, infansque facie prona coxygem Matris verſus educebatur. An id elidit communem ſententiam infantis ſe capite deorſum circa ultima graviditatis tempora duntaxat vertentis? Mortuus jam erat infans. Placentam prudenter ab uteri parte dextra ſeparaturus, hic facile, ibi eam non niſi aut ejusdem, aut uteri læſione, ſolvere potui. In magna plaga facillime ſeparata Placenta, ſinus vidi plures, lacunasve, utero contiguas, cruore plenas, ſed uteri in eadem plaga deterſa ſuperficies nihil mihi aperti, nihil oſtendit ſinuoſi. An uteri ibidem Sectio primum facta, mutavit quidquam? Lineas quasdam albeſcentes, fibras referentes, vario modo per uteri fundum diſperſas vidi; quæ an ipſiſſimæ illæ ſint, quæ *Ruiſchio* ideam muſcularis ibidem fabricæ dederint

igno-

ignoro. Sed nihil difficilius fuit ſeparatione Chorii ab utero: quantacumque enim prudentia id ſeparare contendebam, erat celluloſitatis & vaſorum tantum robur, ut vel uterum lædere, vel membranæ Chorii lacinias deberem relinquere. Amnii a Chorio ſeparatio facillima ſine ulla læſione. An ſi peperiſſet hæc femina, membrana Chorii non manſiſſet utero affixa? & forſitan Placentæ pars? Confirmabit hanc veritatem Hiſtoria uteri, ſanie peſſima diſtentiſſimi, & in ſua ſubſtantia pollicem craſſi, quam Cap. II. §. III. dabo.

Atque hæc de utero dicta ſufficiant, ut convicti ſimus non niſi ſimilium experimentorum raritate contigiſſe, ut uteri gravidi extenuationem falſo plurimi ſtatuerint; & ab altera parte, ut inventam ejusdem 2. 3. 4. pollicum in fundo craſſitu-

di-

dinem ad præternaturalia forte relegamus.

Solent etiam Tubæ fallopianæ, Ovaria, Hydatides, Cyſtici in ſuperficie corporis tumores, eo craſſiorem habere tunicam, quo plus extenduntur. Sic habui Tubam fallopianam hac hyeme ſeptem librarum; his diebus aliam, quam ob diſſectionis diſtinctioris cauſam dilacerare ubique debui, adeoque ponderare non potui, ſed plures certe libras habuiſſem. *Cyprianus* ſaccum hydropicum, ex tuba formatum, & 150. libras aquæ continentem, invenit librarum 30. pondere. Politi & æquabiles raro hi ſacci ſunt, paſſim aut alterutra, aut utraque ſuperficie inæquales, tuberoſi.

§. VIII. Unde demum patet ſcirrhos alioſque tumores Meſenterii, Pancreatis, Pylori, Omenti parvi, ac

ma-

magni, Renis, (quem ſex circiter libras pendentem præterito anno publice demonſtravi), varios Ventriculi morbos, ingeſtorumque vix mutatorum vomitum generare poſſe, nec tamen ſigna pathognomonica adeſſe, quæ clare arguant, quænam potiſſimum pars hic peccet, adeoque ſæpe nos ignorare utrum protopathicus ſit, an deuteropathicus Ventriculi morbus.

Equidem Ventriculum circa Pylorum comprimi ex ingeſtorum fere immutatorum vomitu concludunt Practici, dum vident cætera viſcera inculpate ſe habere; ſed falluntur, dum nonnunquam vitium totum in externis Abdominis partibus modo hæreat, cujus en exempla!

In Tom. I. Act. Chir. Pariſ. *Garengeot* deſcripſit nobis Herniam ſub cartilagine enſiformi, a ſecedentibus

bi-

binis rectis Abdominis musculis, illudque in spatium prolapsa parva Ventriculi plaga. Aliam Herniæ Ventriculi speciem habet, dum pars ejus prolabitur ab utroque latere ejusdem Cartilaginis, in illo triangulari spatio, quod inter illam, & marginem Vaginæ musculorum rectorum intercurrit; quo in loco Vasa ad musculum pectoralem aliasque pectoris externas partes transeunt. Causam esse eam credit, quod solius Obliqui externi musculi, (non vero ut alibi, Obliqui interni, Transversique), Aponeurosis, hanc formet Vaginam. Post *Camerarii* & *Renealmi* autoritatem, laudat etiam Collegas suos, *Petit*, *Andouillé*, & *Arnaud*, ut qui similia observassent. Historia adjecta evincit innumeros fere Medicos in Europa & America, annorum spatio, deceptos fuisse, dum pertinacis morbi

cau-

causam ad varios affectos locos; & propter ingestorum vix mutatorum ejectionem, Alvumque incredibili temporis spatio pertinaciter semper clausam, ad Pylorum, vel saltem ad proxime adjacentes partes, referrent: interea dum attentum examen loci demonstraverit veram Ventriculi Herniam in causa esse, quam idonea compressio & ligatura vel curare, vel saltem, ut non noceat, palliare potuerit. Ut proinde in causarum vomitus immutatorum ingestorum recensione, etiam opus sit ad hanc miram attendere causam.

At nihilominus judicio hic opus. Quotidie videmus, & prostant adhuc exempla in nosocomio, internas Pectoris suppurationes viam sibi in variis Pectoris plagis quærere, & iisdem omnino locis, quos dixi, formare tumorem. Adeoque non omnis

ibidem tumor Hernia Ventriculi eſt: quam tamen ut talem ſuſpicari quis poſſet, licet vix vomitus adeſſet, quandoquidem etiam inguinalis & femoralis Hernia per annos aliquando ſine vomitu adſint. Egregius *Foubert* eodem Chir. *Pariſ.* Tomo primo, ejusmodi caſum deſcribit, quem nonnulli Practici Herniam Ventriculi eſſe crediderant, quem tamen ex præſentia Phthiſis pulmonalis, preſſique undulatione tumoris, purulentum pulmonis tuberculum eſſe aſſeveravit. Lubenter ut tale aperuiſſet, niſi oppoſitæ Medentium ſententiæ, & conclamatus fere ægri ſtatus, eum cohibuiſſent. Inſpectione porro Cadaveris intellexit ſalutarem forte futuram fuiſſe aperturam viæ, quam pus ex concreto ibidem pulmone ſibi quæſiverat.

Sed

Sed & hanc aperturam periculum habere ſuum, Tom. 5. Cap. 6. a pag. 193. ad 200. demonſtravi, ubi omnia ſigna puris ex pulmone eo pergentis aderant, & Aneuryſma tamen ſub pure latitare deprehenſum eſt.

Tandem ingeſtorum vomitus inſeparabilis cauſa inventa fuit ab omnibus hucusque recenſitis prorſum aliena. Duo exempla notabilia habet *La Motte de Re Obſtetr.* Lib. 4. Cap. 17. Obſ. 375. alterum Matris ſuæ, alterum gravidæ feminæ. His intropreſſa enſiformis cartilago ventriculum in continuos egit vomitus. Feminis his, thorace in genua reflexo, cartilaginem digitis ſuis extrorſum duxit, hincque irritatione perpetua Ventriculi ablata, curavit Vomitum. Addit caſum frequentiorem eſſe, ſeque plures cujuscumque ætatis & ſexus ab indomabili cæterum vomitu ſic curaviſſe.

# CAPUT II.

## DE VARIO HYDROPE AC TUMORE ABDOMINIS.

§. I. *Tuba Fallopiana ſiniſtra pendens Libr. 7. continens 32. Libr. liquidi. Disquiſitio ſuper puris generatione in hac femina. Etiam in Virgine uterinum ſyſtema inflammari, ac ſuppurari poteſt.* §. II. *Poſſibilitas demonſtratur conceptus & incrementi fœtus in Tuba Fallop.* §. III. *Exemplum notabile extenſarum ac materia repletarum ambarum tubarum, uteri, ac ſuperioris Vaginæ partis, una cum vulgo dicta Imperforatione, ſive Atreſia. Digreſſio occaſione Atreſiæ, ejusque variæ ſpecies, ac curandi modi. Incurabilitas. Aliud mirum Atreſiæ exemplum, cum addita cura.* §. IV. *Tumores Ventris notabiles ab Hepatis, vel Lienis, vel utriusque, ſaniſſimi, mole duntaxat aucta, juncto illi, aut non juncto, Hydrope. De Incertitudine Diagnoſeos in cunctis enarratis caſibus.* §. V. *Novum genus tumoris cyſtici, quem Pariſinorum methodo tractare natura ipſa indicabat; quemque incurabilem fuiſſe Anatome docuit. Novoque exemplo confirmatur id, quod ad* §. I. *de puris generatione dictum.*

Quam-

QUamvis in omnibus fere hujus operis Tomis de vario Hydrope ac tumore Abdominis egi, abruptam tamen retexere telam cogor novarum obſervationum multitudine, quæ antedicta partim corrigant, partim augeant, confirmentque.

1. Femina 30. annorum innupta, bonæ famæ, ruricola, elapſo abhinc quadriennio quartana laboraverat, quam debellare petitis undique, ut ruri potiſſimum fit, ad id remediis, quocunque modo ſategerat, ac debellaverat tandem. Febre libera, menſtruis caruit, tumoremque mox in ſiniſtro hypochondrio animadvertit, ſenſim creſcentem, eique demum univerſi Abdominis junctum Aſciten.

In *Noſocomio Pasmanniano*, ab optimo ibidem Phyſico D^no^ *Collin* ſuſcepta, & deobſtruentibus atque diureticis ex Arte tractata, a Menſe Au-

gusto 1760. multum lucrabatur. Sed anno hoc 1761. ineunte, anxietate victa Paracentesin subiit, eaque aquosi quidem nihil, liquidi autem gelatinosi Libras 24. Medicas emisit. Detumescente inde ventre eo manifestior, palpabiliorque tumor descriptus percipiebatur. Malorum cumulo pectore tanta subito copia puris erupit, ut suffocaretur, & repleta pure tota trachæa inventa sit. Tumorem hunc una cum Utero, Vagina, Recto, exscissum, D^us *Collin* ad me, publicæ demonstrationis ergo, perhumaniter misit.

Primo totum ponderavimus. Libras Medicas 31. æquabat. Deinde omnibus vero in situ positis; evidenter constitit Tubam Fallopianam sinistram esse, quæ tumorem formabat, adesse ceterum Ovarium, quod naturalem haud multum excederet magni-

gnitudinem. Porro ex hac tuba extraximus liquoris purulenti albi 18. libras. Tubæ ſubſtantia, ſeu membrana tumoris hic duas, tres illic, lineas craſſa, erat intus a pure eroſa, ac lacera, extus vero vaſis quam plurimis dives; quæ tamen minoris diametri erant, quam quidem ea aliis occaſionibus videram.

Aſt tumori huic ſic aperto alius reperiebatur incluſus, membranæ ſuæ craſſitie ut prior, continens liquidi fuſci, tenuioris ac turbidi, Libr. 4. Si unica libra addatur, quæ inter examen effluens, capta erat, ſi dematur pondus uteri & inteſtini recti, ac veſicæ, Tubæ degeneris pondus ſeptem librarum fuit, & liquidorum Libr. 23.

Ut febres intermittentes ſæpe ſalutares ſunt, ita non raro vel per ſe, vel male curatæ, perniciem inferunt, obſtructione pertinaci, & catamenio-

rum defectu. Tuba vitiosa ostendit, quemadmodum ubicunque locorum degenerascere inde corporis partes variæ potuissent, ita nunc se potissimum pati. Undenam vero dum nihil inflammationis in tota anamnesi habetur, dum corpus videtur a diathesi phlogistica prorsus alienum, undenam, inquam, tamen pus in sacco Tubæ? undenam pus in pulmone, tam copiosum, ut ruptis repagulis suis totum spatium aëreum pulmonis inundaverit, suffocaritque feminam? Sane ea nostrorum natura humorum est, ut citra topicas inflammationes, citra phlogisticas febres, diathesin inflammatoriam contrahant, eamque conservent perpetuo. Tomo 2. Cap. 2. hanc veritatem, nisi me animus fallit, demonstravi, & novis exemplis reliquorum annorum decursu evidenter confirmavi. Imo ex ipsis inter-

termittentibus pus posse generari, *libro de Febribus Cap. ultimo* Invictis probari exemplis. Phlogistice igitur noster cruor degener, aut naturalibus viis se eliminat, ut v. g. pulmone, rene, intestino; aut nova sibi via facta effluit, ut naribus, auribus, pudendis; aut format sibi receptacula nova; aut denique vias varias adit. In hac femina, & novum sibi receptaculum fecit, & obruit pulmonem. Et ne quis ob Tubæ hujus degenerationem feminæ hujus virginitatem suspectam habeat, monere debeo etiam totum genitale systema mulieris æque sedem degenerascentis humoris fieri posse (licet ea innupta, castaque sit) quam aliam quamcunque partem. Analogia utique id docet; plura Sanctimonialium exemplo probant, & tertia ordine enarranda historia invicte id demonstrabit.

II. *Cyprianus* ita Tubam descripsit, quæ libras 30. pendebat, & aquæ libras 150. continebat. Dum igitur quis hanc, & præcedentem historiam contemplatur, evidenter intelliget, qui fieri potuerit, ut maturi fœtus aut inventi aliquoties in Tubis fuerint, aut vivente matre, sive integri, sive frustulatim, per aperturam umbilici, abdominisve, a natura factam, vel indicatam saltem, educti fuerint. Ipse *Abraham Cyprianus* olim *Leovardiæ*, pluribus & Medicis & Chirurgis præsentibus, eduxit fœtum maturum post 21. menses a conceptu elapsos, ex umbilico: huic quippe connata ingens illa Tuba, ibidemque inflammata ac suppurata, iter omnino liberum ad fœtum, ope placentæ adhuc cum Tuba sua nexum, concesserat.

III. Tu-

III. Tuba ut alterutra, ita utraque poteſt affici. Longam, ſed per omnia notabilem, hiſtoriam hic dabo; quæ quamvis plura continet, quam ad præſentem noſtrum ſcopum faciunt, ad praxin tamen ſummopere omnia ſpectant, integra omnino enarranda eſt.

Virgo 24. annorum ab octo retro annis quodvis auxiliorum genus, ad menſes provocandos, fruſtra experta, totum ſuum Hypogaſtrium tumidum, durumque habebat; quam duritiem duriſſima ſed æquabilis Zona ad umbilicum, per univerſam Abdominis amplitudinem terminabat. Octo annis miſeriarum elapſis, demum ab obſtetrice Atreſia laborare deprehenditur: examine a præſtantiſſimis Medico & Chirurgo repetito id confirmatur.

Un-

Unde hi 25. Jan. 1761. operationem inſtituere. At vero Imperforatio ſola hic non aderat, verum etiam tanta partium, ſitu, figura, ſtructura, immutatio, ut impoſſibile plane fuerit operationem debitam perficere. Hymenis quippe lata facta ſectione, ſtylo prius, deinde digito, amplum in cavum penetrantes, concludere debuerunt in vaginam penetraſſe ſe ſe; concluſionem confirmari merito crediderunt proſilientis ilico nigerrimi ſanguinis, ex facta apertura, copia. Ita nempe ſolet res in bona operatione ſe habere. Sed certe ne ſic quidem perforatam ullatenus virginem fuiſſe eventus docuit. Languens a longo tempore virgo triduo poſt obiit. Optimi illi viri veniam ſecandi cadaveris ſolicitaverunt, eamque adepti, me ad ſectionem perhumaniter invitaverunt. Rem igitur ſic invenimus.

Ute-

Uteri ſtupenda moles, monſtroſæque utrinque Tubæ, tumorem una formabant, qui totum hypogaſtrium explens, ſuperiore ſui parte illam Zonam conſtituebat, quæ in vita deprehenſa fuerat, totum veluti ventrem intus cingere. Multa copia nigræ turbidæ fætentis aquæ deprehendebatur cavum in ventrem effuſa, ſed examine conſtitit ex parvis hinc inde tubarum putridarum aperturis eam profluere. Ruptura ſane hæc videtur mortis cauſa fuiſſe. Ovaria vix ſolitam figuram excedebant.

Ordine ſic ad contemplandam vaginam ducebamur. Patuit Hymenis ſectionem ſufficienter amplam factam eſſe, ita quidem ut ſi vagina alias ſe ſecundum naturam habuiſſet, hæc eadem ſectio Hymenem, adeoque vaginam, egregie aperuiſſet. Quoad modum ſectionis Hymenis; *Celſus*

eam

eam binis ſe invicem decuſſantibus inciſuris fieri oportere ſcribit; cui adſtipulatur *Benivenius*: *Job van Meckeren* unica cæſura, ſed obliqua, ut ne lædatur urethra: *Wierus* facta parva apertura ope novaculæ ſuperius, ne urethram lædat, obtuſæ, inducit inſtrumentum obtuſum, digitumve, & prudenter tunc hinc & inde ad latera perſcindit membranam. Alias idem *Wierus* ſpeculum incurvum immiſit, cujus dens ſuperior urethram, ne læderetur, tegebat. *Aquapendens* unica, eaque recta ſectione operationem perfecit. *Aquapendentem* optimi viri hi ſecuti, recta, eaque unica ſectione, membranam aperuerunt. Monui antea omnes partes præter naturam ſe hic habuiſſe. Igitur ſectio eorum in qua peragenda urethram evitare ſtuduerunt, nunc inveniebatur per urethram in ipſam

pe-

penetraſſe veſicam; hinc illum omnem nigricantem cruorem facta ſectione proſilientem, non niſi ex læſis proſiliiſſe vaſis concludebant: adeoque quantumvis evitare urethram ſtuduiſſent, videbant ſe ob præternaturalem mox exponendam partium ſtructuram, id præciſe, quod evitare conati erant, effeciſſe, adeoque concludebant tutius ſe impoſterum non *Aquapendentem*, ſed alios, qui obliquam inciſuram commendaſſent, ſecuturos; cum præternaturalis conditio partium nequeat prævideri.

Igitur Hymene perſecto, ne veſtigium quidem Vaginæ adfuit, ſed ſolidum corpus totam vaginam explens, pollicis diametrum, in amplitudine, ſesqui pollicem in altitudine habens, eoque modo cum vagina unitum, ut proprie loquendo, ipſa vagina videretur undique incraſſata fuiſſe, & ita

in

in medio vaginæ centro, coagmentata, ut non nisi unicum solidum, sine concretionis vestigio, repræsentaret. Porro supra hoc Carnosum solidum corpus, cavæ vaginæ erat portio, eaque adeo amplissima, ut caput infantis capere posset, plena sanie fusconigra; Tubæ immensæ utrinque molis eadem materia distentæ, licet hinc inde per foraminula multum ejusdem in cavum ventrem, quemadmodum supra jam narraveram, profudissent. Uterus pollicem in substantia crassus, ingenti amplissimoque suo cavo eandem nigram saniem continuit.

Igitur virgo, de cujus virginitate illibata nulla nunquam quæstio erit, potest vaginæ, uteri, tubarum ambarum degenerationem tantam pati, quantam unquam gravidæ aut puerperæ; quod supra promiseram demonstrandum.

Sin-

Singulare certe Atresiæ exemplum est, cui simile me legisse, aut audivisse, non memini. Id tamen ex historia Medica concludi oportet, quod varius omnino sit in hoc vitio naturæ lusus. Primo describitur Atresia cum Hymene integro, eoque vel clauso omnino, vel, (ut *Wolff* apud *Schenckium*, ut *Wierus*, ut Celeberrimus *Albinus* Exert. Acad. Lib. 4. Cap. 10.) rotundo foramine perforato; quod vel parvum omnino erat, vel quemadmodum *Fallopius* viderat, digitum, aut ut *Albinus* in adulta femina detexerat, penem virilem admittebat. Imperforationis, membrana integra, aut leviter modo perforata, natæ, videtur meminisse *Hippocrates* Lib. de Sterilibus apud *Charter.* Tom. 7. pag. 851. Libro de natur. Mul. Cap. 68. Lib. de morb. mulierum Cap. 22. pag. 743. ut & *Celsus* Lib. 7. Cap. 28.

2. Imperforatio detecta a *Ruyschio* est Obs. 22. primo ab Hymene, qui perforatus, dein ab alia altiore membrana imperforata. Parturienti huic feminæ debuit discindere utramque. Etenim per Hymenis foramen impraegnata erat, via inde ad uterum tunc temporis libera; post impraegnationem vero videntur laxissima vaginæ latera mutuo se excoriasse affrictu, mutuis coivisse parietibus.

3. *Celsus*, *Aquapendens*, *Ruysch*, a vero vaginæ coalitu solo Atresiam observarunt.

4. Hymenem non connatum, sed vitiose generatum, *J. N. Pechlinius* in Observ. phys. med. observavit, ab urina nempe acri, vulvam excoriante puellæ; ita ut a coalitu primo laterum in uno puncto, eorundemque iterum inde recessu, vera formaretur membrana.

5. Vi-

5. Vidit idem *Autor* Nymphas & carunculas circa futuros menſes ita creſcere, ut vulvam, eo, inquit, modo clauderent, quo cor valvulæ tricuſpidales; veroque glutine ita coirent, ut femina vi quadam hoc veluti ſepimentum digitis removere, quo ſanguis effluere poſſet, debuerit.

6. Atreſia cæterum in vaginæ ſubſtantia ex tumoribus natis, viamque proinde plus minus anguſtantibus; eadem orta a vaginæ tumore, qui ad 2. 6. imo ad 12. libras extra vulvam pendebat; imperforationis denique ſpecies ea, quæ ab uteri vaginæque prolapſu, quem tempus induravit, adeoque ineptum reductioni reddidit; abunde deſcribitur, & exemplis confirmatur a *Zacuto Luſitano*, *Ruiſchio*, *Boneto* &c.

7. Singularitatem habet caſus obſervatus *Simoni Schultzio* apud *Manget.*

Bibl. Chir. Tom. 4. Hymen quippe ante urethram erat; ita ut urina parvo tantum foraminulo membranæ ſtillaret foras, peſſimis cum ſymptomatibus. Perſcindendo omnia curabantur.

Similem ſed rariorem caſum haud ita pridem in Noſocomio noſtro habuimus. Juvencula 20. annorum, menſibus carens, ab anni retro ſpatio gravibus ventris doloribus corripiebatur. Cepti hi dolores ſupra umbilicum, per latera ſe ſe, indeque ad pudenda diffundebant, tenesmos recti, veſicæque, excitantes. Preſſis manu in hoc dolore inguinibus, urina promovebatur in paroxyſmo, alvus vero ſequente modo die demum ſequebatur. Finito paroxyſmo dolore toto eo die vacua ac ſana fuit. Rediit ſimilis exacerbatio die altera, rediit tertia, atque ita integro menſe.

Ad-

Advocabatur tunc optimus loci Physicus Exp. D. *Josephus Schreyer.* Is a principio ad finem usque prudentis ac sapientis Medici partes explevit examussim omnes. Morbi symptomata mitigavit, dies nonnullos doloris expertes conciliavit, consilio cum Chirurgis inito Atresiam detexit, ejusque perforationem consilio Medicorum vicinorum, quod convocari petebat, voluit proponere. Parentes autem maluerunt *Viennam* adducere filiam, ac Medici sui epistolam afferentes me consuluerunt.

Aug. 19. proxime elapso, puellam examinans, Atresiam vidi. Hymen fuit fere ad labia vulvæ producta, anterius altius, ut quid superesset adhuc de vagina inter Hymenem & labia; posterius vero ad vaginæ finem erat sic, ut cum labiorum ac fossæ navicularis confunderetur substantia.

A parte anteriore ultra lineæ, a vagina, diſtantiam, parvum foramen erat, quo inductus ſtylus primo difficulter adſcendebat; prudenter autem poſtmodum agitatus, in veſicam urinariam libere penetrabat. Utrinque ad latus foraminis levior eminentia erat, circa medium Hymenem ſenſim evaneſcens. An, quod nullæ Nymphæ repertæ, hæc veſtigia Nympharum?

Turgebat porro concava ſuperficie hymen, intropreſſusque pondus incumbentis deſignabat materiæ. An materies hæc ſanguis menſtruus collectus? Videbatur ſic: nam cum foramen in hymene nullum, niſi quod in urethram continuaretur, ſanguis menſtruus nullam elabendi viam habuit.

Prognoſin dubiam dedi. Brevem ſpopondi, felicemque curam, ſi hyme-

menis præſentia unicus puellæ defe-
ctus eſſet: difficilem, ſi vagina, ſi
uterus, ſi tubæ, ſi ovaria, notabi-
liter eſſent affecta, ut quidem præ-
greſſa ſymptomata forſitan innue-
bant: impoſſibilem, ſi caſus ſimilis
illi, quem ſupra enarravi, exiſteret.

Circa ſectionis modum cum Chi-
rurgo noſtro D^no^ *Leber* conveni, haud
eſſe nobis ſectione recta *Aquapenden-
tem* ſequendum, ſed obliqua *Jobum
van Meckeren*, urethræ vitandæ ſtu-
dio. Statim per aperturam prodiere
ſanguinis nigri ac tenaciſſimi ſic, ut
vix flueret, unc. xxx. Forceps dein
latera incidens cruciatam fecit ſectio-
nem *Celſi*, ut ne denuo latera coi-
rent: magnaque turunda primum
melle roſaceo, deinde digeſtivo illi-
nita, ſuppurationem membranæ pro-
movit. Cum urinæ exitus hinc im-
pediretur, debuit prima & altera die

toties educi, quoties urina ursit, postea vero libere secundum Turundam effluxit. Emulsio paregorica ilico ab operatione dabatur.

Brevi post operationem vix tumebat venter, sed quærelæ die illo, alteroque, fiebant molesti ardoris ad vaginam, tertio die etiam ad Hypogastrium. Quarto autem die venter totus usque ad summum Epigastrium tendebatur magno cum dolore, frequenti vomitu, & intolerabili plane febre. Ter vena secta, enemata emollientia & oleosa continuo injecta, cataplasmata admota ventri, decocta emollientia ac leviter subacida, paregorica, haustus oleosi multi, demum effecere, ut 7. die ab operatione, 4. die a nato ventris dolore, Febris illa continua mitesceret, & prodiret urina flava cum multo crasso, gravi, subpurulento, sedimento.

Ve-

Verum inde non eſt judicata. Continuæ febri ſucceſſit continua remittens, cum gravi exacerbatione matutina, cum graviſſima pomeridiana: & quidem die tertio adeo vehementi, atque diuturna, tantoque cum vomitu, ut, ne hoc in paroxyſmo moreretur, metueremus. Unde finito hoc paroxyſmo, mox dedi miſturam cum unc. β. extr. cort. peruv. aſſumendam antequam ſequens exacerbatio expectaretur, interea dum reliqua omnia interna continuabantur, externaque auxilia. Sic proſequendo vidimus hanc quoque febrim, hosque vomitus, 7. dierum ſpatio terminari.

Durante hac febre, urinæ ſemper pauciores quidem, at flavæ eædem, & conſtanter omnes gravi materie alba, puriformi, ſaturæ. Febre abſente urinæ paulo copioſiores, ſimili autem materie perpetuo refertæ.

Alvus toto febrium tempore cruda enematibus prodiit; poſt corticis uſum coctior, febre devicta ſanorum inſtar, niſi quod a cortice fere nigra.

Toto morbi tempore injectio aquæ hordei cum melle roſaceo ter die in vaginam facta, eduxit primo tenacis ſanguinis reliquias, deinde ſæpius quid purulenti.

Quod ad ventris deſcriptum dolorem, ac tenſionem attinet, id memorabile videtur, quod primo die a febre ceſſante in toto epigaſtrio dolor ac tenſio ceſſaret, ex eoque tempore vomitus quoque ſiluerit; interea dum per univerſum quidem hypogaſtrium, maxime vero circa ilium ſiniſtrum, ſumma, eaque dolentiſſima tenſio obſervaretur; quod tertio die & hoc ilium ſiniſtrum molleſcere inceperit, dieque ſexto nihil ultra aut dolentis, aut tenſi exhiberet; quod

etiam

etiam deinceps medium hypogaſtrium & ileum mollius indolentiusque ſit, & dum hæc ſcribo jam ileum dextrum totum concidat.

An ſpes eſt materiem morbi continuatis ejusmodi urinis poſſe ſolvi? ſaltem hucusque omnis urina hanc materiem conſtanter gerit.

Interim difficultatem explicandi ſummam hic caſus habet. Fuit olim tumor imo quidem in ventre animadverſus, verum quia nil tumidi ac tenſi primo poſt operationem tempore deprehenderimus, veroſimiliter idem tumor a vagina, copioſo ſanguine immenſum turgida, & uterum atque veſicam ſurſum trudente, oriundus fuiſſe videtur; unde etiam evacuata vagina, hypogaſtrium totum concidere debuit. Id ſi ita ſe habet, cur tertio ab operatione die ardor, quarto tenſio ac dolor totius abdominis, cum

ve-

vehementiſſima febre? Si liceat per analogiam quid proferre, in ſectione calculi vidimus anno 1760. triſte exemplum ejus, quod ut periculoſiſſimum Lithotomi adeo formidant, ſcilicet ventrem ab operatione ſumme tenſum, dolentiſſimumque, cum febre violenta. Nunquid ergo vulnera nervoſarum, adeoque ſenſibilium admodum partium, ut veſicæ, hymenis &c. inexplicabili modo inflamment univerſum, aut externum ſaltem, abdomen?

Condonabitur, opinor, mihi hæc circa Atreſiam digreſſio, quam explicatio, de variis abdominis tumoribus danda, neceſſariam utique & inevitabilem reddebat: abruptum retexam filum.

IV. Vir nobiliſſimus, bellicis induratus laboribus, procerus, hilaris, facetus, anno vitæ ſuæ 38. gravi contu-

tumelia afficitur, tacito animo concoquenda. Unde in ſummam, ſed ſine materie, ut loqui Ars amat, Melancholiam, dilabitur. Quindecim exinde elapſis menſibus, fortuna ridet, honosque ad contumelias prægreſſas delendas aptiſſimus, ſuccedit. Sed, o triſtes mortalium calamitates! radices adeo altas egerat prior animi affectus, ut corporea organa, viſcera, nervos, humores, inficiens, morbum nunc ex ſpirituali materialem produxiſſet, verumque generaſſet Aſciten. Nihil ars hic præſtitit. *Carolinis* thermis ſemel in anno, octennii ſpatio, æger uſus, Hydropis quidem experitur imminutionem, at vero duritiem primo ſiniſtro, deinde etiam in dextro abdominis latere, ſenſim creſcentem, animadvertit.

Varietas ſententiarum circa naturam morbi ingens fuit, eoque major,

quo

quo Abdominis Latex uno tempore copiosior, confusiorem redderet affectarum contactum partium; alio iterum tempore parcior, contactum præberet liberiorem. Lien sæpe accusabatur, & his quidem infarctus, aliis vero scirrhosus. Tempus fuit, quo tumor duplex, alter loco lienis, alter lapideus fere, ventriculo adhærere quibusdam visus fuerit. Omentum postea accusarunt, Mesenterium dein, tandem tympaniticum Coli tumorem. Biennio ante mortem Ill. *Præses*, egoque, sententiam rogati, respondimus nec quænam potissimum partes, nec quonam illæ demum modo, affectæ essent, determinare certo nos posse. Contigit autem semianno ante mortem, ut illum primum præsens viderim, examinaverimque; contigit idem aliquoties postmodum; hydrops nonnunquam minor, suspicionem mihi

Lie-

Lienis augere potuit, ſed firmam ſententiam pronunciare, frequens cadaverum, toties illuſionem Medicorum manifeſtantium, recordatio prorſum vetabat.

Extra urbem morienti non adfui, nec corporis aperturæ; ſed jecur & ſplenem corpore exemtum ad me miſerunt. Inſolitæ magnitudinis ac ſoliditatis ambo hæc viſcera, ponderavi; ac jecinoris pondus novem libras cum $\frac{1}{4}$. ſplenis autem 6. cum dimidia libras æquare deprehendi, ſolidum utrumque, ſed nė minime quidem ſcirrhoſum. Ergo & qui ſolum Lienem accuſaverant, & qui ſolum hepar, tum etiam qui ſcirrhum pronuntiaverant, erraverant. Neſcio, qui fiat ut in corporibus, quæ ceterum emacientur, & tabeſcant, viſcera nonnulla, ac præſertim jecur ac ſplen, in monſtroſam molem, eamque cetera

ſa-

ſanam, abeant? 21. Dec. 1758. publice exhibui ſplenem eadem, qua hepar, magnitudine, 4½. libras æquantem, ſubſtantiæ plane bonæ ac ſanæ; dum interim corpus a ſubito profligata intermittente febre obſtructum, & aſciticum, penitus contabuiſſet. Et 2. Jan. 1759. demonſtravi in corpore maxime cachectico, & vertebrarum omnium thoracis ac lumborum, oſſis ſacri, pluriumque coſtarum, peſſima carie demum peremto, Hepar adeo magnum, Lienem ita ingentem, ut nec legerim, nec viderim unquam, hæc bina monſtroſiora, doleamque exactum horum pondus in Diariis meis deſiderari; ambo hæc viſcera ad pelvim usque extendebantur. Cap. 1. §. 5. enorme hepar, non morboſum omnino, in cachectico corpore quoque mirati ſumus. Dum viventibus has partes tangimus, vix, quid tanga-

gamus pro certo affirmare poſſumus; Tumores enim Meſenterio enati, Renes monſtroſi, Sacci degeneraſcentium viſcerum variorum, ipſe Ventriculus, licet vomitu nonnunquam ſui affectionem prodiderit, vel in alterutro, vel in utroque abdominis latere, ſimile quid, quod tale Hepar aut Lien, tactu exhibent. Cum autem, quo plura inciderimus cadavera, eo plures cauſas detegimus, quæ licet a ſe mutuo diverſiſſimæ, tamen eundem aut ſimilem contactum explorantibus exhibent, ideo diſcamus ſententiam propriam dubitanter proferre, ſaltem eam contra alia opinantes non acriter defendere. Si cadaver poſt mortem incidatur, demonſtrabit forte, quorumcunque erroneas ſententias eſſe, & cauſam mali aut nunquam adhuc obſervatam, aut ſaltem ab iis Medentium in dato caſu alienam, dabit.

Et ſi caſu quis rem acu tetigerit, & inde velit magnus videri Apollo, facile in proxime futuro caſu ſuam inſcitiam, & vanitatem, aperto cadavere demonſtratam videbit. Ut clarius inde convincamur, perpendamus ſequentem hiſtoriam.

§. V. Dec. 4. anni 1760. puerum decennem ſuſcepimus, cujus en vitæ hiſtoriam! Primo vitæ Biennio ſat ſane vixiſſe dixere parentes, facie tamen inflatum perpetuo. Bienni ipſi poſt clamores nocturnos, crus fuiſſe veluti contractum, quod frictionibus mater emendaſſet; idem denuo octenni contigiſſe, iterumque frictione emendatum. Variolis inter 2. & 3. vitæ annum laboraſſe, & integris ſex menſibus exinde pectore anxium fuiſſe, attamen & medicamentis ad id datis reconvaluiſſe. Sanum utcunque præter ea, quæ nunc enarrata, infan-

tiam,

tiam, & pueritiam, hucusque transegiſſe, at comatoſum tamen perpetuo, idque potiſſimum ſingulo autumno; frigidum quippe ſemper, mox ubi hypocauſti ignis cubiculum calefaceret, vix ab eo removendum fuiſſe, atque hinc magis ſomnolentam hyeme vitam egiſſe, buccisque utrinque pendulis hyeme adhuc plus apparuiſſe.

Præprimis autem hic notamus ab Autumno 1759. quo & comatoſum, & crure ſiniſtro affectum, eum intelleximus, tumorem in ſiniſtro hypogaſtrio comparuiſſe, quem Mater diligenti attentione de die in diem proſecuta, ſupra pubem & inguen ſiniſtrum primo, deinde ad criſtam Ilei ſurgentem, ſenſimque ad coſtas, ſpinamque Lumborum adſcendentem obſervaſſe ſe ajebat, & ſpinam dorſi ipſam tunc notabiliter fuiſſe incurva-

 tam.

tam. Tumorem ipſi examinantes, non in hypogaſtrio, ſed ſupra criſtam Ilii, inter coſtas ſpurias, ſpinam, & hanc criſtam, locatum deprehendimus, eumque durum totum, excepta plaga ejusdem ſuperiore, & ad ſpinam proximiore, quæ manifeſtam fluctuationem exhibuit. Pectore tuſſim & ronchum audivimus.

Circa naturam tumoris dubii fluctuantes, indicationes manifeſtas ilico ſequebamur; expectorationem oxymelle ſquillitico promovendo, & tumorem cataplaſmate ultra emolliendo. Emendata hinc reſpiratio eſt, & tumor ſui aperturam, vel brevi ſponte futuram, vel arte faciendam, indicabat.

Die 18. Dec. aperuimus, eduximusque plusquam 4. lib. craſſi, flavi, nec fœtentis puris. Specillum ad medium abdomen pene intravit. Ex illo

tem-

tempore aperturam ſæpius dilatavimus, ut commode pus exſtillare poſſet: ſane exſtillavit illud ad mortem usque fere perpetuo, tuſſis ope multo copioſior. Bis die injectio aquæ hord. cum melle roſaceo facta eſt, toto morbi tempore; ſtylus proſtremis temporibus, & injectio ipſa, vix cavum ultra dari indicabant. Toto hoc tempore bono nutrimento, frictionibus, remediis primo attenuantibus, poſtmodum ſolventibus, tandem roborantibus, flaccidum corpus emendare conatus, æthiopem lavi. Imo a 15. Feb. 1761. crus ſiniſtrum fungoſo tumore ad malleolum primo internum, deinde ad externum affectum eſt; inſtar veræ ſpinæ ventoſæ malum, dum tumor externe aperiretur, nuda jam oſſa oſtendebat.

Aprili finiente cum magna dorſi apertura, magnaque boni puris ef-

fluentis copia, febricitare cepit, & ſpina lumborum dorſique dolere. Febris exin continua fuit, ſæpe cum veſpertinis, ſæpe cum vagis exacerbationibus, cum dolore ſpinæ fere perpetuo; quam accubitui puris ad illam, natæque inde roſioni, tribuebamus. A medio Majo febris intenſior, diarrhœa argillacea, ut ſæpe in ſuppuratis obſervamus, dyſenteria nonnunquam cruenta, & a 22. Maji fungoſi tumores ad articulum cubiti ſiniſtri, ad dorſum dextri pedis. Tandem 7. Junii, finis miſeriarum, mors.

Ingens Ventriculus, bonum Abdomen, niſi quod hinc inde, idque potiſſimum in pelvi, pauxillum flocculenti puris inveniretur, præterque illud tres propemodum Lymphæ libræ. Stylus ulceri inductus moderabatur ſectionem præcipuam. Hac lege deteximus ſaccum quendam, forma-

matum a poſtica parte Quadrato lumborum, & Pſoa magno; anterius Pſoa parvo, a majore multum remoto, albido, mucoſo, & Peritonæo; a latere interno, corpore quodam calloſo, quod ſpinæ lateri accretum, quodque pſoam parvum multum a majore removebat; a latere tandem externo, Transverſo Abdominis.

Porro tria hic ſumme notanda erant. I^mo^. Saccus nunc deſcriptus, qui deſcendebat ſuper Iliacum internum, ſecundum magni Pſoæ latus, ejusque tendinem, anguſto ductu, eodemque calloſo, donec cæco fine terminaretur inter tuber iſchii, & trochanterem majorem. 2^do^. Apertura, quam natura indicaverat, quamque 18. Dec. anni proxime elapſi feceramus, eo proprie loco fuit, quo Transverſus Abdominis incepit haud ultra a Quadrato Lumborum tegi, ea-

dem circiter cum ſuprema vertebra lumborum altitudine. 3$^{tio}$. In magno ſacco prius deſcripto fiſtula lateralis erat, quæ ſtylum noſtrum ducebat ad infimam dorſi vertebam, eamque ſcabram & eroſam, deinde aſcendendo ſecundum vertebras, usque ad quintam vertebram thoracis. Calloſitas veſtiebat utrinque ſpinam, vertebræ enumeratæ omnes & corporibus ſuis, & proceſſibus, eroſæ, conſumtæ, ichore ac pure undique ſordentes.

Conſiderando igitur 1$^{mo}$. puero huic, dudum antequam in Noſocomio ſuſciperetur, ſpinam dorſi tam extrorſum, quam leviter introrſum, idque loco affecto potiſſimum, incurvatam fuiſſe: 2$^{do}$. Tumorem primum non in ſummo femore, ubi ſacci finis erat, ſed ſupra inguen ſiniſtrum adverti incepiſſe: 3$^{tio}$. Cæcum omnino

no & callosum fuisse finem in femore sacci: 4$^{to}$. In sacco Abdominis præter Psoæ parvi flaccitiem nihil degenerascentis repertum fuisse: 5$^{to}$. Adfuisse lateralem sacci fistulam, quæ cum erosis undique vertebris communicaret: hæc, inquam, omnia considerando, in eam facile sententiam imus, quod ad hujus cachectici, & cacochymici Pueri, spinam dorsi, morbi origo hæserit; quod morbus inde inchoans, sibi viam inter musculos & peritonæum rodendo paraverit; quod copia ac pondere materiæ saccus deorsum elongatus fuerit; quod in fistulam oblongam ultra ossis pubis marginem abiverit; sed quod materia minorem resistentiam supra os pubis, quam infra inveniens, in tumorem primo in inguine collecta fuerit, deinde sensim altiora petiverit.

Sed undenam primo quatuor Libræ puris, purisque continuus semianni spatio fluxus? Pus sane paucum intus delituit, nec in pulmone aut reliquo corpore ulla vomica fuit. Ex observationibus toties iteratis patuit ad purulentas excretiones annosas solam sanguinis phlogistici diathesin requiri, quæ continuo se inde liberet: adeoque sanguinem facile a spinæ carie phlogisticam reddi potuisse, & hanc eandem phlogisticam materiem circa spinam deposuisse, sensimque copia ac pondere suo saccum descriptum formasse.

Conclusio hujus capitis est, quod inter innumeros Abdominis tumores & hydropes, in variis hujus operis Tomis recensitos, ne bini quidem sibi similes reperiantur; quodque id omnino certum videatur, quo plura cadavero postliminio inciderimus, eo

nos

nos plures inter ſe diſſimiles inventuros caſus, quorum diſſimilitudines in vita non potueramus deprehendere. Adeoque repeto quod pag. 65. monui. Concluſio denique eſt complures ſemper fuiſſe caſus, itidemque ſemper futuros, qui Pariſinorum curam (ut Tom. 4. Cap. 3. expoſita fuit) nunquam admittant; eſſe quoque ejusmodi, in quibus hæc ipſa methodus a natura per continuum puris effluvium indicata, unice palliet, neutiquam curet, quemadmodum hiſtoria pueri, ultimo enarrata, evincit.

# CAPUT III.

## DE HYDROPE PECTORIS.

§. I. *Hydrops Abdominis & Pectoris a nimio hæmorrhoidum fluore: Habitus ventris tympaniam mentiens. Pulmones toti degeneraſcentes & corrupti, itidemque univerſa pleura,*

*ra, & tamen nullus ullibi eorum coalitus. Anatome ut per omnia notabilis erat, ita notabilior ob defectum sanguinis in toto corpore.* §. II. *Hydrops pectoris per 14. dies præcipuo suo symptomate, signoque carens, sine nota causa. Anatome exhibet ingentem vitalium partium degenerationem, quæ non expectabatur; nulla calculosæ diathesios signa in systemate urinoso, bilioso, pneumonico, quam suspicati haud immerito fueramus. Respondetur ad quæstionem, cur homo hic præcipuo morbi sui signo aliquando caruerit?* §. III. *Phthisis pulmonalis abscondens notabilem Pectoris Hydropem. Hydrops hic, etsi cognitus debito tempore fuisset, Paracentesi non potuisset sanari. Singularis locus, in quo collecta aqua. Confirmatur ex his omnibus proposita* Tomo V. *hujus morbi difficilis cognitio, difficillima curatio. Qui nocturnas anxietates in lecto evitaturi, in sedili se collocant, hos non semper easdem evitare, haud infrequens observatio docet.*

TOmo hujus Operis V. multus fui in hoc morbo describendo, ejusque tum rariore cognitione, tum difficiliore, ne dicam impossibili curatione, enarrandis; quæ recens observata idem argumentum confirment, nunc tradam.

Die

Die 8. Jan. 1761. homo 30. ann. consilii causa in Nosocomium venit; triennium elapsum esse ajens, cum melancholia ex oppilatis Abdominis visceribus laborans, Hæmorrhoidas sibi provocasset: ex eoque tempore easdem large fluentes quovis mense habuisse: nunc vero a 5. Septimanarum spatio, tumidas se quidem illas, at plane siccas, habere. Quatuordecim diebus, ab ultimo fluxu hæmorrhoidali elapsis, tussim sibi natam esse, eamque siccam, & molestam, vires inde minui, jamque ab octiduo & ventrem sibi & crura tumere. Debilis totus homo apparuit, anhelus, macer, fusco-pallidus.

Homo hic, optimi Medici optimo consilio, fluorem hæmorrhoidalem ante triennium sibi adplicitis provocavit hirudinibus. Verum & optima consilia sua incommoda habent.

To-

Toties clari viri id notarunt, quod aperta vasa hæmorrhoidalia sæpe non sufficienter postmodum claudantur, hincque nimio fluore hydropem, ac mortem producant. A *Galeno* in hæc usque tempora id Medicos luxisse, Tractatu *de hæmorrhoidibus* evici. Hinc infidum aliquando auxilium est. Pœnas certe inde homo noster luit. Cachexia dudum affuerat, Tussis accessit 14. die ab ultimo fluore, hydropem Pectoris referens, manifestusque apparuit Hydrops Abdominis & Crurum, quo tempore prima vice deficiebat hic fluxus. Hinc evidentissimum fit, Tussim ac Hydropem non a suppressis, sed a nimiis hæmorrhoidibus sumsisse originem.

Datis remediis, potissimum diureticis, hydrops minuebatur, sed sonus Tympaniticorum similis in ventre successit, tumorisque inæqualitas,

re-

referens Tympaniam: Diuretica, Purgantia, & Roborantia, aliquo tempore admota, menſis ſpatio omnem ſuſtulere Hydropem. Sed nullam ſpem inde concepimus, cum vires decreſcerent. 23. Feb. mortuus eſt.

Nihil tympanitici in abdomine inventum eſt: ſed, quod nos deceperat, & tympanitidem erat mentitum, omentum fuit, quod in inæqualia oblongaque tubera degeneraſcens, ac peritonæo horum ope cohærens, ventrem more tympanitico inæqualem repræſentaverat: iminuto quippe plurimum hydrope, non poterat peritonæum ſufficienter ſe ad inteſtina adplicare, præ tuberibus craſſis denſis omenti ſecum connati. Hinc inteſtina in vacua hæc ſpatia intrare, aëre ſæpe diſtendi oportuit, adeoque percuſſum abdomen ſonum edere, licet neutiquam in formam tympaniti-

cam

cam perpetuo extenſa eſſent. Jucundum interim videre erat, quam mire decepti eſſemus. Omentum enim totum ab inferiore parte inteſtinorum remotum, atque in ſe revolutum, ab angulo coli ſub hepate, usque ad flexuram ejusdem ſub liene, in duram, craſſam, ac cartilagineam ſubſtantiam, digitum pluribus in locis denſam, degeneraverat, ubique cum peritonæo connatum. Hinc anatome difficilis erat, præcipue cum inteſtina tenuia, omento non tecta, cum peritonæo levibus vinculis hinc inde cohærerent. Igitur degeneraſcens omentum, inæqualitate ventris; inteſtina, dum flatibus diſtenta loca inter tubera omenti vacua occuparent, ſonitum tympaniticum in percuſſione abdominis dabant.

Cæterum, peritonæum totum, omnia inteſtina, integrum meſenterium,

uni-

universa pleura, superficiem, substantiamque suam totam, granulosam habuere; granulis albis, multum eminentibus, durisque iisdem, & quam proxime sibi invicem adpositis. Hepar, Lien, Renes boni. Renibus pinguetudo nulla. Vix libræ tres lymphæ in toto ventre. Flavedo hujus lymphæ intensa; num a vehementer transsudante vesicula fellea? Bilis cystica profunde flava. Levis utroque pectoris in cavo hydrops, a libra dimidia in singulis aquæ fuscorubræ. Cor in substantia pallidum, in cavis utrisque multo grumoso cruore plenum: ad principia vasorum majorum paucus sanguis; sed mox inde complanata aorta, vena cava, vasa iliaca: perscissaque eadem in longitudine, vix guttam sanguinis dabant. Nec putat quis vulneratis aliis id contigisse vasis; nam a principio

ad finem usque, Cl. collega *Gaſſer*, totumque auditorium medicum, ſicciſſimam anatomen mecum mirabantur. Pulmones toti quanti duris erant tuberculis, ad ſenſum cartilagineis, pleni; tranſciſſi autem, pus undique inter illa tubercula fuderunt. Quod autem mirum maxime, nullibi cum pleura accreti fuere.

Simulata tympanitide deceptos nos fuiſſe, ſupra oſtendi: verum an nos quoque non decepit pectoris perſonatus hydrops? utique a tanta univerſi pulmonis degeneratione tuſſis, anxiæ reſpirationis, anhelitusque, veroſimilius cauſa deducitur, quam ab unica libra liquidi in utroque pectoris inventi cavo. Niſi ſtatuere maluerimus, ſicut diureticis & hydragogis aquam ventris, ita quoque eam pectoris evacuatam fuiſſe.

An

An granulosa tam substantia, quam superficies membranarum, ad vitæ finem generata est a Phlogistico illo, quod toties invenimus transsudasse, & alias, quadam ceu membrana, viscera, pleuram, ac peritonæum texisse?

Cur sanissimi pulmones, ut toties vidimus, brevique novis confirmabo exemplis, tam sæpe ita accreti Pleuræ, Diaphragmati, Mediastino, Pericardio, ut nullo in puncto liberi sint; & in hoc homine, in quo corruptissimi erant, ubicumque liberi reperti sunt? Causam non bene capio: Hydropem pectoris forte olim copiosiorem, id non impedivisse, firmus teneo; primo quia concretionem hanc, majorem, minorem, in Hydrope pectoris passim invenimus; secundo quia ab aquis versus pectoris inferiora locatis, ut in Hydrope pectoris assolet, superna Pulmonum pars versus jugu-

lum a concretione cum Pleura prohiberi non poteſt.

§. II. Vir idem, cujus capaciſſimum Ventriculum pag. 23. deſcripſi, dat nobis mirabilia obſervanda. Quippe tribus ille de cauſis a me aperiebatur. Primo quod calculo laboraſſet, plurimosque labentibus annis calculos urethra reddidiſſet; jamque ab anni retro ſpatio ita immunis a calculi vixiſſet arumnis, ac ſi eodem laboraſſet nunquam. Secundo quod certo creditus pectore hydropicus, ſignis hujus morbi primariis, quæ nocte potiſſimum adfuerant, ſub vitæ finem noctibus caruiſſet. Quod tertio ſuſpicio orta eſſet, an non Hydrops pectoris, eo quod ceſſantibus calculi excretionibus & cruciatibus, natus eſſet, calculoſis forte in pulmone concretionibus deberetur? Quod ad calculum attinet, id Cap. VII. dabo; im-

præ-

præſentiarum modo illa, quæ quæſtionem de Hydrope pectoris elucident, enarabo.

Annorum hic ultra quadraginta, cum diem fungeretur, multis ab annis calculo laboraverat, calculos plures urethra excreverat, donec demum remedio quopiam ſumpto ſe calculorum exemtum cruciatu gauderet: ex quo autem hac a calculo immunitate fruebatur, pectore angi cepit, cruribus intumeſcere, ac tuſſi moleſta, levioreque cruoris ſputo vexari. Crevere hæc ſymptomata ita, ut poſt elapſos 3. menſes nequiverit, niſi in dextrum latus decumbere; anxietates a primo inito ſomno experiretur; cruribusque interea ac femoribus vehementer tumeſceret; ventre interim multis retro ab annis ſemper a natura, haud vero a colluvie aquarum, tumidulo. Copioſum Oxymel ſquilliti-

ticum cum multis aliis diureticis, Kermes minerale, Gummi ferulacea, interposita Hydrogaga, motus, frictiones, nihil profuere.

Sed insolitum quid contigit ultimis 14. vitæ diebus. Consuetas suas noctes calamitosas ne experiebatur quidem ultra, sed tranquillissimo somno, sex, septem, horarum spatio, lætus fruebatur, ita ut primarium illud Hydropis pectoris signum prorsum evanesceret. Quod autem mirabile erat, si ad beatum hunc statum continuandum solito diutius decumberet, en sensim, quæ nocturnæ olim fuerant, nunc anxietates fiebant diurnæ; imo eundem sæpius in sedili positum invadebant. Crurum autem tumoris, ac universi corporis debilitatis, insigne fuit incrementum, & post 14. optimas noctes demum 12. Maji, cum levi ac vago delirio, obiit.

Se-

Sequenti die Cadaver aperuimus, egregius Medicus Aulicus Nobilis *ab Hentſchel*, Chirurgus *Leber*, egoque. Purpureum corpus ac lividum, ſpatio horarum 36. a morte elapſo, ad Humeros, Jugulum, Thoracisque tum ſuperiora, tum latera. Venter longe quam in vita tumidior. Coſtarum cartilagines totæ, infimarum exceptis, oſſeæ. In dextro Thoracis latere octo libræ fœtidæ ſubrubeſcentisque aquæ, in ſiniſtro vix unciæ paucæ. Cordis bovinæ magnitudinis dexter Ventriculus parietum tenuitate hic vix lineam, ibi ſesqui lineam, craſſus, cavitate magnus; ſiniſter autem pollicis craſſitie, exiguum valde cavum habuit. Aorta, Carotides, Subclaviæ, ſubſtantia craſſiſſimæ, ampliſſimæ diametro. Polypoſi quid utroque in cordis cavo. Lividi, flaccidi pulmones, quocum-

que in loco tranſcinderentur. Hepar lobo ſiniſtro parvum, dextro monſtroſum fere, longum ita, ut cum peritonæo circa criſtam Ilei connatum eſſet. Flava ac multa bilis, nulli calculi bilioſi. Ventriculus ingens, ut pag. 23. Cap. 1. enarravi. Ren dexter quadruplo majus naturali, mollis, flaccidus, cætera bonus, ſine calculo; ejusdem bonus ureter. Extenuatus ita Ren ſiniſter, ut nec longitudine, nec craſſitie, digitum excederet, alias nec purulentus, nec calculoſus. Naturalis omnino & ſine Calculo Veſica urinaria. Peritonæum pulvinaris inſtar tumens, lumbos totos in pelvim usque explebat; eo autem perſciſſo patuit laxam, corruptamque celluloſitatem eſſe, quæ tantum utrimque pulvinar componebat. Corrupti ac fere conſumpti Pſoæ.

Ana-

Anatome igitur conſtitit 1^mo^. indicationem Hydropis pectoris rite captam eſſe. 2^do^. Nullas calcareas concretiones in pulmonibus eſſe inventas, ut quidem ſuſpicio ferebat. 3^tio^. Hominem hunc, qui ſummus olim Nephriticus numeroſos calculos ſæpius excreviſſet, totam Diatheſim demum ſuperaſſe, nec habuiſſe partium degenerationes, ut vocant, eſſentiales; cum Renis ſiniſtri cætera ſani parvitas, mole dextri compenſaretur.

Verum cur placidas adeo noctes ultimis vitæ 14. diebus egit? Phænomenon hoc mihi vix explicabile. Reſpondeo duntaxat me *Tom. V. hujus Operis* evidenter demonſtraſſe ingentem Pectoris Hydropem, in quo nocturnæ anxietates quinque menſibus ſiluerint; tum & alium validiſſimum Hydropem Pectoris, cui anxietas illa nocturna affuerit nunquam;

 dein-

deinde mox daturum me Hydropem Pectoris a morte inventum, una cum Phtisi Pulmonum, eorundemque pessima degeneratione, quo in homine Hæmoptoe cum sputis purulentis, ac febri hectica, veram Phthiseos pulmonalis ideam exhiberent, nullo vero modo eam Hydropis Pectoris. Hinc quamvis Phænomeni dati causam non intelligo, merito tamen concludere videor id minime mirum nobis oportere videri, quod 14. diebus in vero Hydrope Pectoris præcipuum signum deficiat; siquidem idem & longe diutius, & perpetuo defuisse, aperta cadavera demonstrent.

Quæ ultra circa calculosam hujus hominis diathesin, & cor, notata fuerint, hæc suis quæque locis dabo; ennarrabo modo nunc, quam mox promisi, historiam.

In-

Ineunte Junio proxime elapſo cadaver aperuimus, Magn. D. *Keſsler*, Expert. *Guarin*, egoque, hominis, apud quem olim ter, quater, fueram in conſilium vocatus, & ubi ex copioſo Baccho Hæmoptoem, & ſputa purulenta, copioſa, febrimque continuam remittentem, conſtanter animadvertentes, Phthiſim pulmonalem adeſſe ſtatuebamus; neutiquam vero, cujus nunquam ſigna videramus, Hydropem pectoris: niſi forte obſcura quædam ſub ultimis vitæ diebus adeſſe ſuſpicari forſitan quis potuiſſet. En vero Anatomen! ſex libras aquæ abdomen dabat, $7\frac{1}{2}$. libras dextrum Thoracis cavum, ſiniſtrum libram unam. Pulmonum cartilaginea ſubſtantia longe durior, & pluribus in locis fere oſſea; ut portione clam mecum lata, publice demonſtravi: Veſicularis autem eorum fabrica pluri-

ri-

rimis ſebaceis corporibus pleniſſima. Sübſtantia denique Pulmonum tota fere diffluens præ corruptione. Mucoſi tumores tremuli, gelatinæ inſtar, membranis concluſi, magnitudine pugni virilis, ſupra utrumque Renem inventi. Ventriculus commode excipiebat libras 12. aquæ. In Veſica fellea tres polygonati calculi.

Sed modus conſiderandus eſt, quo hydrops pectoris hic formatus. Non proprie, ut aſſolet, in cavo pectoris hærebat aqua, verum Pulmo, inferiore ſui parte, ad altitudinem trium digitorum ſupra locum, quo Diaphragma Thoraci connectitur, Pleuræ, Diaphragmati, Mediaſtino, intime connatus; ſuperiore autem parte undequaque latitudine duorum digitorum cum Pleura unitus. Porro intra locum cohæſionis ſuperioris, & inferioris, Pleura nuda erat, & $7\frac{1}{2}$.

li-

libræ aquæ ad Pleuram nudam accumbentes, removerant Pulmones, eosque ſurſum, deorſum, atque ad mediaſtinum, compreſſerant, quo ſibi ſpatium compararent. Eratque hoc ſpatium ad coſtarum arcus; ita ut Pulmo ad latera ſterni, & ſpinæ dorſi arctiſſime cohæreret, in medio vero Thorace circa arcus coſtarum nihil Pulmonis eſſet.

Hinc iterum concludo, polymorphum hunc morbum, gravem poſſe, diuturnumque adeſſe, quamvis ſui vix ſigna edat. 2^do^ Confirmari hinc quæ ſuperiore anno ſuper difficillima ejusdem diagnoſi diſſeruerim. 3^tio^ Ex loco, quem hic aquæ occupaverint, itidem confirmari, quæ de morbi hujus per paracenteſim curatione, ut theoretice potius, quam practice propoſita, adnotaverim: Quippe loco ſolito inſtituta Paracenteſis, Pulmonem

ac-

accretum vulneraſſet, nullas eduxiſſet aquas. Frequentia hujus accretionis, quæ tanta, ut tertiæ, ſaltem quartæ, mortalium parti contingere *Diemerbroeckio* viſa ſit, curam hanc, ſi inſtitueretur, inutilem ſæpe oſtenderet.

Abſoluturus hoc Caput, Lectoribus in memoriam revoco, quod *Tom. V. Cap.* 3. *Pag.* 100. 101. poſt *Piſonem* notaveram; nempe pectore Hydropicos, cum ſubita corporis erectione, a nocturnis anxietatibus in primo ſomno invadentibus, ſe levare advertiſſent, voluiſſe easdem poſtmodum in ſedili, erecto corpore dormiendo, prævenire, ſed incaſſum: cum igitur etiam ſic erectos dormientes anxietas invaderet, rationem hujus nocturnæ anxietatis nobis difficiliorem intellectu videri. Sane Hiſtoria penultima priores obſervationes confirmat, in eo adhuc notabilior, quod

etiam

etiam de die in ſedili dormientem anxietas caperet eadem. Non do equidem hanc obſervationem, ut univerſalem: dantur forte, quibus primum ſomnum in ſedili transegiſſe profuerit; ſed contraria *Piſonis*, meaque*, ſæpius confirmata obſervatio, caſum ſaltem haud infrequentem eſſe demonſtrat.

# CAPUT IV.
## PROBLEMATA, ET DIFFICULTATES.

§. I. *Laus Pathologiæ, & frequens certitudo; ſed ſimul ejusdem curta ſæpenumero ſupellex. Ratio eſt, quod Pathologia unico duntaxat modo vitam humanam utcumque intelligat, Adorandus vero vitæ Autor, & Fons, vitam humanam poſſet infinitis condere, & conſervare modis. Exempla, quæ id evincant.* §. II. *Hiſtoria curæ Aneurismatis ſpurii, quæ optime quidem feliciterque peracta, infeliciſſima tamen, ignotis de cauſis, fuit. Plenitudo vaſorum cunctis conſpicua ſignis,* ad

*ad mortem usque; Vasorum tamen perfecta post mortem vacuitas.* §. III. *Anatome hominis, cui per annum ante mortem pulsus nunquam debilis, sed semper fortis, durusque, usque ad ultimam luctam mortis, in quo, nulla praegressa evacuatione, nullus sanguis fluidus, sed exile modo filum polyposum in omnibus, iisque dilatatissimis corporis vasis, inventum est. Quaedam horum similia, sed imperfectiora, ex* Cl. Lieutaud. §. IV. *Casus feminae, quae nunquam symptomata affecti cordis, majorumque vasorum passa, cor & vasa majora monstrosae ac vitiosae magnitudinis, totum fere thoracem occupantis, habuisse deprehensa fuit.* § V. *Anatome portentosi cordis, in cujus substantia officulum, & cujus valvulae tricuspidales non modo initia Coronariarum neutiquam tegere potuerunt, verum etiam Cor digiti amplitudine apertum semper reliquerunt.* §. VI. *Vita, & Respiratio non multum incommoda, cum Pleurae, Diaphragmatis, Mediastini, Pulmonum, Pericardii, Cordis, majorum Vasorum, firmissima inter sese concretio, sic, ut, nonnisi unicam, eandemque immobilem prorsus molem, prae se ferret.* §. VII. *Affecti ossis sterni, mortisque mirabilis historia, in qua nec sufficiens causa morbi in vita, nec vera causa mortis in cadavere, detecta est; & in qua febris hectica cum omnibus suis signis adfuit, excepto eo, quod & obesum, & torosum, ad ultimum usque vitae ha-*

*halitum, corpus perseveraverit.* §. VIII. *Testis contusio generat horrenda in abdomine; itidem seminis abundantia & corruptio citra contusionem. Stupenda Anatome. Castratio provectum eousque morbum non tantum non curat, sed mortem accelerat calamitosam. Quædam in hanc rem ex* Hildano, *aliisque. Consilium præcavendi.* §. IX. *Tumor in Tibia ex contusione natus, 30. annis inculpate gestatus, tandem malignus factus, curatur enucleando. Recrescens irritamenta patitur, generatque Emprostotonon, & Maxillæ Tetanon. Ablato tumore hæc symptomata perseverant, occidunt. Doctrina magni* Hippocratis *circa Tetanos. Calor urens in Ardente febre vix auctis Thermometri gradibus. Tetanus musculorum & tendinum, diu a morte superstes.* §. X. *Anatome intricatissima, in qua omnia intestina tenuia, & crassa, a sua externa tunica separata inveniebantur, & ex eadem, tanquam ex vagina, aut theca, evaginabantur illæsa. Demonstratio hinc confirmata* 1°. *quod intestina suam tunicam extimam a Mesenterio, ac Mesocolo, mutuentur.* 2do. *quod ligamenta coli a tunica externa potissimum oriantur. Determinatur justa Intestinorum longitudo. Difficultates circa veram hujus morbi naturam.* §. XI. *Hernia intestinalis, vaginalis, & causa Ilei morbi vehemens, longis ab annis in corpore præsentes, sine ullis suis signis aut symptomatibus. Anatome.*

PAthologia nititur quatuor potiſſimum fundamentis, quorum primum quidem Anatome eſt, quæ omnium humani corporis partium figuram, molem, ſitum, variumque cum aliis nexum, & harmoniam, docet. Alterum eſt Phyſiologia, una cum Mechanice, Hydraulice, ceterisque adſcitis Phyſiologiæ Diſciplinis. Hæc partium per Anatomen cognitarum deſtinationem, uſumque, exponit, indeque humanarum functionum & actionum exercitium explanat. Tertium ejus fundamentum merito habetur experientia medica, eaque eo quidem tempore potiſſimum capta, quo illæ ipſæ functiones, earumque inſtrumenta, aut otiantur, aut læduntur, aut deſtruuntur. Quartum denique tum omnium in genere Cadaverum inſpectio eſt, tum præcipue eorum, quorum morbi, dum vi-

viverent, attente conſiderati fuerant, diligenterque adnotati.

His innixa Pathologia, ſæpius morbos multos a principio ad finem ita explicat, ut nulla certior evidentiorque Demonſtratio haberi in Phyſicis queat. Conſtatque inde Pathologicum bonum eſſe neminem, qui non ſimul bonus Anatomicus, qui non accuratus exiſtat Phyſiologus. Ut enim linea recta ad curvæ nos adducit cognitionem, ita ſani, vegetique hominis, intellecta Natura, functionumque integritas, nos in intellectum ducit cauſarum, quæ earundem functionum læſionem, perverſionem, deſtructionem, ſoleant producere.

Verum enim vero occurrunt nobis ſæpenumero morbi, quorum Phænomena laudatis hisce ac neceſſariis principiis haud modo non explicantur, ſed iisdem plane adverſantur.

Ecqua tandem hujus cauſa portenti? Paucis dicam. Eorum quæ ad hominem pertinent, multa novimus, omnia non novimus; & quod res eſt, vitæ, ut ita dicam, ignoramus latitudinem. Perennat ſiquidem illa quandoque, idque notabiliore tempore, interea dum otiari videantur, imo dum deſtructa, aut inepta ſaltem, ea organa, illa vitæ appareant inſtrumenta, quæ quidem ex veris Artis principiis ad vitam, vitæque functiones, abſolute neceſſaria ſtatueramus. Velimus, nolimus, hic, hic inquam, curtam noſtri ingenii ſupellectilem fateamur oportet: incipimusque ſub his Velamentis Illum detegere, quem Fontem Vitæ Sacra vocitent, qui dum ſecundum noſtra Anatomica, Phyſiologica, Mechanica, Hydroſtatica, Hydraulica, Hygraulica principia, vitam conſervat Mortali-

bus,

bus, Naturæ ſe monſtrat Autorem; dum vero reclamantibus hisce legibus eandem perpetuat, Omnipotentem ſeſe, infinitarumque, ut ita dicam, Naturarum Creatorem eſſe, & ut paucis omnia comprehendam, libera Voluntate cuncta ſe agere, oſtendit.

Quum plura obſervata mea propria argumentum horum, quæ dixi, ſubminiſtrent, præcipua collegi, & ordine enarrabo.

## PROBLEMA PRIMUM.

FEmina 65. ann. optima ſanitate ſemper gaviſa, corripitur media nocte 22. Martii 1761. anxia reſpiratione ac leviore hæmoptoë. Vocatur extemplo, Venam qui ſecet, Balneator. Is porro, inſtrumento ſuo reſiliente arteriam tundit, ingentique ſaltu proſilientem cruorem com-

primere ſatagens, nonniſi tertio repetito adparatu compeſcit. Adſtantes Chirurgum exonerant, retrotractum ab ægra brachium cauſati.

Vulnus, ad 12. diem non amoto apparatu, vidimus 18. die ab eodem inflicto, deteximusque ingentem in humero ac brachio a compreſſione tumorem. Pulſus in carpo fortis, & calor, vel arteriam haud valide compreſſam eſſe indicabant, vel nunc per laterales arterias ex Humeraria ortas, jamque dilatatas, ſanguinem in laterales arterias, quæ ex brachiali arteria ante, poſtque ejusdem bifurcationem egrediuntur, nunc retrogrado motu inferri in arteriam brachialem, aut radiæam, atque circuitum humorum in manu hoc modo reſuſcitari.

Sphacelus humeri præ foribus adſtans, citam operationem popoſcit. Perfecit eam *D. Leber* Aſſiſtentibus

D^nis

D^nis Chirurgis *Homburg*, *Fischer*, & *Reichberger*. Methodum comprimentem intercipienti prætulimus, ob rationes Tom. 4. Cap. 2. §. 10. laudatas. Apposita machina tortili supra arteriam humerariam, Operator sondam cavam induxit in vulnus cutis, atque cava omnia esse detexit. Integumenta supra sondam cavam transcidit ad digiti longitudinem, eduxitque sanguinis grumosi, nec dum fœtentis, libram dimidiam, & prudenti digito quasvis hujus massæ reliquias abstulit: tunc sondam prudenter deorsum in vulnus duxit, ut prius, ita & nunc, caute evitans vulnus arteriæ, arteriamque ipsam; ac congrumatum ibidem sanguinem, cute ad pollicem latum perscissa, eduxit.

His factis relaxavit paulisper comprimens Instrumentum, quo rite contueremur Arteria vulnus. Horrui-

mus profecto videntes idem quatuor lineas longum, ita ut accusatio retracti sub venæ sectione brachii confirmari videretur. Portio aponeureticæ expansionis Bicipitis Brachii suo erat loco. Arteria vulnerata Humeraria fuit ante suam in Radiæam & Ulnarem divisionem. Quodque Tom. 4. Cap. 2. de corpore rotundo immobili, ad Vulnus Arteriæ notavi, idem hic quoque invenimus; formatum a vagina cellulosa arteriam, venam, nervosque, hic loci involvente. Hæc valida nimirum compressione a Chirurgo facta cum ipsa Arteria ubique conglutinatur, coalescitque, eo excepto loco, quo vulnus est. Vis enim sanguinis hanc cellulositatem a se repellit, suoque in illam impulsu tumidam atque rotundam efficit.

Adverteramus porro loco citato, in aliorum nostrisque casibus, Aneury-

ry-

ryſmata ſpuria integre curari ſola compreſſione externa, quando Vagina hæc ſic cum Arteria coit, ut ſanguis per vulnus arteriæ in ſaccum hunc ſe penetrans, nequeat amplius latera ſacci, cum arteria coalita, ab eadem removere: curari vero minime, ſi compreſſione nec ſufficienter, nec tam feliciter facta, impetus cruoris, in ſaccum inſilientis, latera ſacci hinc inde ab arteria removeat, ſeque hinc furtim per totam diffundat brachii humerique celluloſitatem. Atque præſens caſus cum ſic ſe haberet, non poterat compreſſione ſola, ſed operatione quadam inſtituta, curari. Porro cum hoc ſacco arcte unita Aponeuroſis erat, vi compreſſionis.

Edocti igitur Aneuriſmata egregie curari relictis his cunctis concretis portionibus, eluimus primo brachii ac humeri vulnus, Vulneri Aponeuro-

ſeos pulverem fungi Agarici inſperſimus, totique ſacco: dein Agarici rite compreſſi laminas ordine ſeptem, ſenſim grandiores, impoſuimus, & compreſſam, ut vocant, deſuper; tandem idonea ligatura totum firmavimus adparatum. Brachio, humero, manui, fomentum vini, aqua calida diluti, adpoſitum eſt.

Conqueſta licet ægra dolorem, bene tamen toto eo die habuit ſe, & uſa Emulſo cum Diacodio, ac Nitro, bene dormivit. Die ſequenti bene habuit, ad Veſperas autem febris magna orta eſt, cum anhelitu, ſtupiditate, deſipientia levi, pulſuque celeri, forti, duro. Unde ad octavam veſpertinam unc. vj. ſanguinis ſano de brachio eduximus, & miſturam Aquæ Hyſſopi, oxym. ſquill. ac ſtib. diaph. dedimus. Refrigeratus ſanguis rubram inſulam bene conſiſtentem, cru-

ſtam-

ſtamque inflamm. denſam, hinc albeſcentem, inde leviter rubentem, formabat. Impetuoſius vena exſilierat. Interim Brachium aneuryſmaticum naturaliter calebat, infraque ligaturam pulſabat, circum ligaturam autem anxie circumſpicientes, omnia ſicca læti deprehendebamus. Ita ut hucusque nullam, hac ſaltem de cauſa, inquietudinem animo foveremus. Hora vero undecima adparatus leviter madere, tingique, obſervabatur. Ilico tamen hæmorrhagiam hanc incipientem conſtrictior Machina tortilis compreſſit. Ægra interea ſomnolenta fiebat, & ad mediam horam primam pulſus, etiam ſub ligatura, fortior deprehenſus eſt. Ad primam nocturnam expiravit, horis 41. ab operatione elapſis.

Ad 8. matutinam brachium examinantes, deprehendimus vix 5. aut

6. un-

6. uncias ſanguinis hæmorrhagia illa exiviſſe: id enim exacte nos inſpectis linteaminibus determinare didiciſſe Tom. 4. Cap. 6. evici. Ergo non periit hæmorrhagia; 1^mo^. quod poſt cohibitam eandem, inventus ſit fortior pulſus. 2^do^. Quod modica admodum copia effluxerit. 3^tio^. Quod ſanguis, dum paulo ante de Vena educeretur, valido jactu proſilierit.

Neque a Gangræna, compreſſionem validiorem haud raro ſequente, extincta eſt. Pulſus namque ſub eadem ſemper manifeſtus ad mortem uſque fuit, & manus egregie ſemper caluit, imo ipſe anatomicus conſpectus quamvis gangrænæ ſuſpicionem amovit.

Examinantes deinde operationis apparatum, invenimus illum egregie adhærere, infimamque agarici lamellam adeo vulneri eſſe infixam, ut ſcal-

ſcalpello inde amovenda fuerit. Figuram vulneris eidem pulcre impreſſam, Clar. Profeſſor *Gaſſer*, qui ipſe eam a vulnere vi amoverat, nobis omnibus demonſtrabat. Sanguis ſub agarico in ſacco congrumatus & conſolidatus fere totus. Quamobrem merito concluſiſſe videmur levem illam Hæmorhagiam ex laterali vaſe, alicubi in integumentis non compreſſo ſatis, ortam fuiſſe.

Horum recenſione crediderim, quosvis æquos rerum æſtimatores concludere 1^mo^ Operationem egregie inſtitutam fuiſſe. 2^do^ Mortem neque ab Hæmorrhagia, neque a Gangræna, contigiſſe. Quænam igitur cauſa Mortis? Proſequamur reliquam Anatomiam.

Viſcerum bona conditio. Sed vaſa univerſi corporis, majora, minora, ita & flaccida, & vacua invenimus,

mus, ut ſicciorem Anatomen nemo viderit. Sanguis unice inventus eſt fluidiſſimus in baſi cranii ad unc. ij. copiam effuſus, ita ut ibidem videatur vaſculum fractum fuiſſe.

Repetamus igitur Hiſtoriam totam. Quinque ante mortem horis pulſus celer, fortis, durus, proinde phlogiſticus, fuit. Sanguis de vena tuſa vere inflammatus prodiit, ſaltu exſiliens, vi reprimendus, dum vena clauderetur. Exigua admodum Hæmorrhagia fuit. Poſt venæ ſectionem & Hæmorrhagiam, dimidia ante mortem hora, fortior deprehenſus pulſus eſt tam in affecto, quam ſano brachio. Interim ſanguis nullus in arteriis veniſque fuit; ne ejusdem quidem illa minima columna, quam a minima arteriæ contractione manere oportere vulgo credimus. Vacuitas perfecta æque in venis, quam in arteriis,

Ita-

Itaque mortis causam proximam video a compressione, quam ab effuso intra cranium sanguine Medulla oblongata, Nervorumque origines passi sint; vitam tamen exsanguis corporis, cnm signis ad mortem usque plenitudinis vasorum, cum non capio, lubenter aliis, me in arte versatioribus, exponendam relinquo.

## §. III. PROBLEMA ALTERUM.

ARthriticus homo, de quo Tom. 5. Cap. 5. pag. 177. 178. & in Dissertat. *de Irritab. & sensib.* pag. 54. egi, in omnibus suis calamitatibus, durum fortemque pulsum nunquam non habuit; ut toties mecum per longum ejus morbum Medicinæ Studiosi observarunt mirabundi. Constanter hic pulsus adfuit, nisi morte jam adstante præ foribus. Cum mortuum illum 2. Octobr. 1759. aperiremus, in-

invenimus Aortam universam, Arterias Emulgentes, Iliacas, Femorales, amplas quidem, sed flaccidas, suo in cavo ad crura usque, gerentes nihil, quam filum, sive chordam tenuem, albam, polyposam, quæ crassitudine inæqualis, in maxima sua diametro vix sesqui lineam haberet, pluribus in locis lineam vix excederet, dum interea vas columnam digito crassiorem sine ulla extensione continere potuisset. Cor itidem crassum, pallidum, vacuum, habens tantummodo dextra in auricula sinuque quid polyposi, & in sinu sinistro pauculum grumosi cruoris, in subclaviis atque carotidibus arteriis, funis, sive filum polyposum, vix lineæ fuit. Ad venas autem quod attinet, Cava, atque Renales, diametro maximæ, sed vacuæ; excepto filo, illi simili, quod in arteriis inventum, sed hinc inde

filo

filo arterioſo linea craſſiore. Aquam multam utrumque pectoris cavum habuit, ſanguinem vero nullum; ita ut æque ſicca hæc, quam proxime præcedens Anatome fuerit.

Nullas evacuationes paſſus hic homo eſt, quia nec habuit ſufficientes: cum tranſpiratio, ſudor, alvus, urina, poſtremis vitæ diebus penitus deficerent; atque a menſis retro ſpatio parcius debito fluxiſſent. Quæ ergo vitæ ratio in illo homine fuit? Non ſanguis, ſed chorda polypoſa in vaſis fuit, tenuis adeo, ut vaſorum parietes ad columnam decuplo craſſiorem vix adplicare ſe ſe contrahendo potuiſſent. Interim homo vixit, & perpetuo forti ſuo, duroque pulſu, in diuturnis ſuis ærumnis nos omnes in admirationem rapuit. Unde rogo, cum evacuationes non modo non præceſſerint, ſed quæ neceſſariæ, du-

dum & imminutæ, & ſuppreſſæ fuerint; cum nullus fere ſanguis cunctis fuerit in vaſis; cum denique vaſa ampliſſima amplecti filum hoc tenue, ſi fluidum adhuc in vita fuerit, nequiverint; undenam vita hæc miſera tamdiu protracta? & protracta quidem perpetuo, cum duro, fortique pulſu?

*Cl. Lieutaud* in Epitome Med. Pract. 1759. *Pariſiis* edita, ubi Annemiam ad claſſes morborum refert, aſſeverat vaſa ſanguinea interdum uſque adeo ſanguine vacua reperiri, ut caput, pectus, & abdomen, tam ſicca ſint, ut ceram referant, vaſa minora tum omni carere ſanguine, majora ſemiplena eſſe, utrumque genus aere turgere. In Virgine, cui anni ſpatio ſanguis centies detractus fuerat, ſubito extincta, cerebri vaſa ne veſtigium quidem ſanguinis oſtendiſſe.

Ho-

Homini ob frequentiores in morbo acuto venæſectiones Leipothymia poſt menſem, & mors, contingunt. Adverterant tamen paulo ante mortem vires reparari, & priſtinum redire homini colorem. In cadavere vaſa cerebri penitus ſicca, cor ſanguine vacuum reperiſſe ſe, omnesque ſectiones plane ſiccas feciſſe, Vir Clarus teſtatur. Sed evacuationes hic prægreſſæ ſunt; in caſibus vero binis noſtris, vel vix notabilis evacuatio, vel nulla, prægreſſa eſt, in quam tantæ vacuitatis vaſorum cauſam refundas. Quanquam in *Lieutautii* cadaveribus difficultate non careat, vitam aliquantiſper productam fuiſſe, cum tanta humorum penuria.

## §. IV. PROBLEMA TERTIUM.

FEmina 37. ann. menſe Septembri 1760. in Noſocomio *Paſmannia-*

*no* ab Ictero curata, inde exivit, renitente optimo ibidem Physico *Collin*, cui mens erat eam firmioris sanitatis reddere, antequam domum repeteret: aucta postmodum debilitate, & difficili respiratione, Nosocomium repetiit, ineunte Decembri. Licet respiratio nunc difficilior esset, tamen nunquam sive quando ictero olim laborabat, sive nunc secundo suscepta, ullum cordis vel dolorem, vel palpitationem passa, conquestaque est; nunquam intermittentem, inæqualem, remittentem, pulsum habuit, nisi ad mortem, quæ a febre, & extrema debilitate contigit 14. Decemb. Cor cum Pulmonibus exemptum *Cl. Collin* pro publica demonstratione ad me misit.

Ut in enarranda hac Anatome me rite capiant benevoli Lectores, monitos eosdem volo, in ponderibus nume-

merandis me ubique pondus commune medicum 12. unc. intelligere; in mensuris autem capiendis me pedem sumere pollicemque *Viennensem*. Pollex *Viennensis* $\frac{4}{5}$. lineæ minor est *Parisiensi*; $\frac{4}{5}$. longior *Rhenolandico*; dimidia linea longior *Londinensi*. Captæque fuerunt omnes hæ mensuræ postquam cor $2\frac{1}{2}$. diebus in spir. vini aquæ misto servatum, adeoque utcunque contractum esset.

Cor cum radicibus majorum vasorum elotum, detersum, mollique linteamine probe exsiccatum, pondus librarum duarum æquabat. Magnitudo autem cordis, pondusque, maxime a mole Ventriculi sinistri nascebatur. Capacitas Ventriculorum tanta, ut ultra duas libras caperent ambo, sicut exacte capta mensura docuit. Dexter Ventriculus in longitudine perscissus, & situ naturali in

tabella explanatus, ſex pollicum, ſeu ſemipedis, latitudinem, prope baſin cordis habuit; ſiniſter Ventriculus octo pollicum. Circumferentia baſis cordis pedis integri cum $\frac{1}{3}$. pollicis. Oſſea Aorta ad baſim cordis abſciſſá 4. pollicum in circumferentia fuit. Cordis ſiniſtri denſitas firma, compacta, dura, erat 10. linearum. Dextri autem craſſities naturalis. Longitudo dextri ventriculi cum ea ſiniſtri æqualis. Capaciſſima Aorta ad Cæliacam usque, & in tunicis craſſiſſima. Principiumque Aortæ altitudine hinc 3. illinc 4. linearum, totoque in ambitu, oſſeum fuit; per univerſum autem ejus decurſum inſulæ oſſeæ, a ſe invicem remotiores, inventæ ſunt. Pulmones boni quidem, ſed ob cordis molem parvi, & in ſuperiore thorace tantummodo inveniendi.

Si hæ omnes adeo inſignes mutationes intra breve ſpatium prope mortem generari potuiſſent, in promtu reſponſum haberetur ad quæſitum, cur femina nunquam anxietatem ad Vitalia, turbatos nunquam perceperit pulſus? At vero Hiſtoria tota innuit a longo retro tempore enormem hanc Vitalium viſcerum degenerationem, ſumſiſſe originem; dum interea, quæ eam denotarent, ſymptomata minime obſervarentur. Utique cor ita monſtroſum, ut, explens maximam Thoracis capacitatem, pulmones anguſtum in ſpatium cogat; Cor idem præ denſitate indurata vix contractile; adeo capax, ut ultra duas libras liquidi contineat; OſſeusAortæ annulus; Aorta dilatatiſſima, atque indurata, pluribusque latis Oſſeis inſulis vitiata; hæc, inquam, omnia cum pulmone vix ſanguinem transmittente, vix expli-

cabili, debuerunt necessario ejusmodi humorum fecisse Circulum, quem Physiologicæ leges explicare nequeunt.

## §. V. PROBLEMA QUARTUM.

IN consilium vocabar finiente Novembri 1760. ad Viduam quinquagenariam, cum pie defuncto D^no^ *Erndl*, & egregio Viro, Nosocomii Hispanici Medico, *Hasenöhrl*, Autore egregiorum binorum tractatuum practicorum. Erat spasmis illa, anxietatibus, animi affectionibus, maxime iræ, perquam obnoxia. Paregoricis, ac Neuroticis, hinc olim levata, jam haud levabatur ultra; quin potius animo incepit linqui. Judicavimus omnes Vitalia, si non protopathice, quod verosimile, saltem deuteropathice, affecta esse. Hydrops pectoris sui quidem suspicionem fecit,

ve-

verum palam asseri, præ multorum defectu signorum, non potuit. Die 15. aut 16. exinde elapso, extincta est.

In cadavere hydrops pectoris demonstrabatur. Cor cum vasis exemtum publico examini subjeci. Ambitus vacuati cordis fuit ad basin 9. poll. 7. lin. Ambitus cordis in medio 9. poll. 5. lin. Altitudo a cuspide ad basin 4. poll. 2. lin. Ossiculum oblongum in substantia superioris partis sinistri Ventriculi, digitum immissum mox afficiens, & sic se detegens, longitudine octo linearum, in media latitudine trium linearum, durissimum. Auricula sinistra repleta erat materie crassa, sebacea, inæquali, & cum auricula firmissime accreta: in dextræ auriculæ cornu quoque quid simile fuit.

Valvulæ tricuspidales ad Aortam bonæ quidem figuræ, at durissimæ,

totoque margine osseæ: corpuscula autem eorum rotunda, a *Morgagni* tam bene descripta, tum universa durissima erant, tum unum triplo majus, osseum. Valvulæ Venæ pulmonalis fere unitæ in unicam, eamque latam Zonam, sed naturali duplo majorem, crassam, inæqualem, duas lineas densam.

Ambitus Aortæ ad basin cordis 4. pollicum; ad curvaturam suam 4. poll. 2. lineis minus; ubi subclaviam generat $3\frac{1}{2}$. poll.; Ambitus Arteriæ pulmonalis 3. poll. 8. lin. Trunci coronariarum semipoll.

Valvulæ ad Aortam tegere, ac claudere Coronarias non poterant, licet easdem tenaculis fortiter attraheremus. Hoc sæpe. Unde *Morgagni* ex 18. cadaveribus invenit 13. esse, in quibus idem observatum.

At

At non modo Valvulæ non tegebant originem Coronariarum, verum etiam breves, induratæ, contractæ cum essent, haud tantum non claudebant aperturam Arteriæ, sed tale, ad minimum, spatium in medio relinquebant, ut Aorta communis magnitudinis per illud commode transivisset. Jamque dudum id ita fuisse, Valvularum crassitudo & durities, ossiumque in una corpusculum, demonstrabant.

Porro quis circulus, qualisnam sanguinis motus, corde sinistro semper aperto, & aperto ad tantam amplitudinem? certe in Arteriæ systole dum ad Arteriarum fines resistentia est, hac via patula, multum sanguinis in cor refundi oportuit. Valvulæ enim non obstitere. Proinde debuit cor continuo ex aorta se contrahente sanguinem copiosum recipere.

Una-

Unaque modo columna a corde per arteriam, numquam intercepta, semper integra fuit. Nec spatium in hoc ventriculo fuisse videtur ad excipiendum pulmonalium venarum sanguinem. Si nunc consideremus vitium hoc antiquum fuisse, ut ante patuit, quæritur physiologica circulationis in hac femina, quantumvis vitiosa fuerit, expositio, & modus.

## §. VI. PROBLEMA QUINTUM.

REvoco huc casum, quem Tom. 2.. *Rat. med.* cap. 8. dedi, hominis scilicet, qui insolubili, & antiqua concretione, connatas mutuo inter sese quascunque Thoracis partes habuit, Pleuram, Mediastinum, integros Pulmones, eosdemque iterum mutuis inter sese lobis, Pericardium, Cor totum; ut proprie loquendo omnes hæ partes nonnisi idem, unicum-

que

que viſcus referrent. Nec ſingularis hic caſus eſt, duos ſimiles Pueri & Puellæ Cap. VI. dabit. Quæritur, quis hic vitæ fuerit circulationisque modus?

## §. VII. PROBLEMA SEXTUM.

PUella 14. annorum anxia pectore, difficulterque reſpirans, cætera ſana fuit. Nata 16. annos, menſium fluxum ter paſſa eſt, ſequenti vero triennio nunquam. Anno vitæ 18. naſcitur ipſi in ſterno tumor, materiem fluctuatione deſignans. Cum hoc tumore prima vice ad nos acceſſit die Decemb. 30. anni 1758. Quia vagæ febres aderant, copioſamque materiem in hoc tumore, interno de pectore ortam, ſuſpicabamur, credidimus vel ab ejusdem reſorptu, vel ab oſſis carie, has febres naſci. Ea de cauſa aperuimus tu-

tumorem, ex eoque pus tum illo tempore, tum deinceps quotidie, vidimus effluere. Binis elapsis exinde mensibus; nempe finiente Februar. 1759. novus apparuit altiore sterni loco fluctuans tumor; qui itidem apertus jugi fluore stillavit. Cortex peruvianus, & lactea diæta, febres egregie profligarunt. Aprili mense novus tumor cum ossis prominentia, sed is sponte recessit. A Majo mense ad Novembrem fluentibus jugiter ulceribus, sanissima vixit, res domesticas Parentum in ædibus optime curavit. Menstruo fluxu Majo, Junio, Julio, Augusto, gaudebat, deinceps vero haud ultra. Nov. 16. eam denuo intra Nosocomium suscepi, eo quod novus tumor in depressiore sterni sede appareret. Apertus is, perpetuo deinceps fluxit. Sponte aperiebatur & quartus. Febres denuo continuæ remit-

mittentes, vix ultra cortice & lacte moderandæ, fecerunt vehementem materiæ ab osse sterni, vel forte ex Mediastino resorptæ, suspicionem. Postremoque hoc tempore Tussis accessit, ac puris sputum, tandemque vomitus, singultus, diarrhœa, consuetis immorigera remediis; superstite nihilominus pulcra corporis, facieique, torositate: ita ut cortex & lac corpus pulcre viderentur sustinere.

Hac rerum conditione in consilium vocavi optimos Chirurgos nostros: *Homburg* Chirurgum SS. MM. *Leber* Nosocomii Chirurgum, jamque Chirurgiæ in hac alma Universitate designatum Professorem, *Reichberger* optimum ad *S. Marcum* Chirurgum, Veteranum Chirurgiæ Doctorem *Reutter*; quibus sese, præter egregium Medicum *Erndl* adjungere dignatus est Ill. *Præses*. Quærebatur quæ morbi sedes, quæ

ejus

ejus natura foret? Equidem ſternum quatuor diverſis, & manantibus, & inter ſeſe, facta injectione, communicantibus foraminibus[f], pertuſum erat; per aperturam autem inferiorem ſpecillum ad profunditatem ſesqui pollicis immergebatur, ſurſumque ductum liber aliquantisper ambulabat. Idem ſpecillum ſuperiori foramini inductum circa 3. & 4. coſtam lateraliter pollicis latitudine intrabat; ut communicatio ſic eſſet a ſterni ulceribus ad quandam ſeu fiſtulam ſeu cavitatem lateralem. Cavitas autem illa lateralis non videbatur in ipſam pulmonum abire ſubſtantiam, ſed inter pleuram ac pulmonem; aut potius pleuram inter, coſtasque, & muſculos: ſiquidem aër fortiter inſpiratus, & expiratus, admotam candelam minime movebat. Pronum inde fuit cogitare forſitan in dilatato Mediaſtino Vomicam latere,

quæ

quæ ſenſim ſibi viam per exteriora moliretur, & quæ ad ſuperiora ſterni lateralem haberet proceſſum. Quærebatur 2^do^ in hoc conſilio foretne alia, quam quæ adhibita hucusque eſſet, adhibenda curandi norma? An perterebratio oſſis, ut *Galenus* feciſſe ſe ſcribit, qui quoque corrupti Pericardii portionem, oſſe terebrato, abſtulit; nudique conſpexit cordis motum? Qualem operationem quoque factam hiſtoria famoſi *Adæmoni Becker* teſtatur, qui ipſus in oppoſito ad parietem ſpeculo proprii cordis motus contemplatus fuerat? Verum ab una parte ſternum, inæquale, & gibboſum admodum, Trepanum difficulter admiſſurum eſſet; & ſuſpicio duntaxat, non certitudo, aderat, ſub eodem inveniendæ in Mediaſtino Vomicæ: ſiquidem non Mediaſtinum modo, verum etiam quævis partes, tum pro-

xime adjacentes, tum remotius ſitæ, circa ſternum ea, qua turgent, materie, evacuare ſe poſſint; unde fruſtra forte foret Terebratio. Ab altera parte quatuor diverſis aperturis cum pus manaret, habebat Natura, quo ſe expurgaret.

Concluſio igitur fuit præſentia ſymptomata mitigare; corpus decocto Bardannæ, & lacte, implendo, & depurantibus injectionibus hucusque adhibitis ſubſtituendo novam, quæ aliquoties mire profuerit in ſimilibus; ſcilicet cocta uncia media Colcotharis Vitrioli in aqua per ſemihoram, ut libra liquidi ſupereſſet: quibus per aliquod tempus continuatis, novum conſilium ſuper agendis convocandum eſſet. Atqui Vomitus, ſingultus, diarrhœa, nulla ratione curabantur, ulcera ſiccabantur, vires cito concidebant, octiduo poſt conſilium elapſo, moriebatur.

Ca-

Cadaver pulcre torofum, pingue, craffum. Craffum omentum, adeo magnum, ut univerfum abdomen tegeret. Colon appendicibus innumeris pinguiferis cinctum. Ventriculus, Inteftina, Diaphragma, Jecur, Splen, Mediaftinum, Cor, Pulmones, qui in dextro cavo thoracis multum, in finiftro parum, cum Pleura cohærebant, optimi, faniffimi.

Cum igitur omnia Vifcera fummam fpirarent fanitatem, fternum examinandum accuratius fuit. Incraffatum illud, convexum valde, tribus in locis erofione perforatum, pluribus plagis nudum, carie exefum, ab interiore parte faccum gerens, quem pleura a fterno, coftisque, recedens, formaverat; nempe ad trium digitorum latitudinem, in tota fere fterni longitudine, Pleura utrinque recefferat a coftarum cartilaginibus, & ante-

teriore parte musc. intercost. internorum, una cum sua productione media, qua Mediastinum format. Pollicis distantia Pleura hic a sterno distabat, non tantum quia retropulsa a contenta materia, sed quia sternum, ut dixi, convexum erat. Paucum pus hic aderat, quia ab octiduo vix quid effluxerat, sed certo certius videtur a pure copiosiore hic collecto, formatus olim hic saccus, sive hoc puris receptaculum, fuisse.

Hoc ipsum receptaculum communicabat cum sinu, seu appendice ejusdem oblongo, cæco utrinque, in Thorace locato, inter pleuram, & musculos intercostales, digiti longitudine. Pus nunc paucum inerat, ita ut vix intra Thoracem hi sinus prominerent. Ossa costæ 3. & 4., numero a superioribus ducto, utroque Thoracis in latere, circa sinus il-

los

los exeſa, ſcabra, tamen alba: unica in plaga Muſculus intercoſtalis internus multum, externus parum, exeſi erant.

Phænomena morbi mortisque conſiderando, mortis cauſam quærendo, hæreo aqua. Pure copioſo olim fluente, ſaniſſima vixit; domeſticos alacriter peregit labores. Poſthac quamvis pus copioſe manaret, hecticæ febres, cortice inſuperabiles, vomitus, ſingultus, diarrhœa, vehementer eam affligunt. Tandem ſiccis fere ulceribus, vomitu, diarrhœa, ſingultu, auctis, intra octiduum moritur. Periit quidem hæc Juvencula omnibus quidem ſymptomatibus hecticis, ſed non modo citra hecticam corporis, humorumque conſumtionem, verum etiam cum venuſta muſculorum toroſitate, cum totius obeſitate corporis. Colliqueſcens, ſeu

ut in ſcholis loqui amant, colliquativa diarrhœa Phthiſicorum more, vitam extinxit; corporis pulcra toroſitas, & obeſitas, viſcerum omnium illibata integritas, colliqueſcentem morbum plane negant. Neque enim, ſi ſterni territorium cum finibus ſuis lateralibus excipias, quidquam toto in corpore, quod ſaniſſimum non fuerit, inveneris. Totum vitium fere extra leges circulationis hæſit.

An pus fundum receptaculi poſt ſternum copia, ac pondere ſuo, in Diaphragma preſſit, atque illud convellendo, ſingultum vomitumque genuit? vix videtur, cum ultimis vitæ diebus ſicca ulcera, & ſaccus fere vacuus fuerit, interea dum eadem ſymptomata pergerent.

Nunquid vitium in oſſe ſterni natum prius fuerit, & quidem a valida Thoraculi in ſternum compreſſione,

quam

quam ſero deteximus? An proinde nata ſanguinis phlogiſtica diatheſis ab oſſe affecto, quæ quotidie per idem os evacuaverit ſe ſic, ut corpus maneret ſaniſſimum? An hæc ita aucta poſtmodum Diatheſis, ut licet plurimum ulceribus efflueret, multum tamen ſanguini intime commiſtum hæſerit? Nunquid hinc 10. ante mortem ſeptimanis Diarrhœa, vomitus, ſingultus? Et denique an ultimis vitæ diebus, cum ulcera ſicceſſerent, ſanguis nimiâ copia phlogiſtici oneratus, adeoque per minima vaſcula transfluere ineptus, mortem induxerit?

Si ſimul corpus dudum extenuatum, & emaciatum fuiſſet; cauſam manifeſtam interitus deprehenderemus; prout *Tom.* 2. *Cap.* 2. & paſſim in omnibus reliquis Tomis, multorum cadaverum ſectione demonſtrare co-

natus fui : verum quia viſcera omnia ſaniſſima , corpus obeſitate ac toroſitate conſpicuum fuerit , explicatio morbi mortisque deficit.

## §. VIII. PROBLEMA SEPTIMUM.

JUvenis 25. annor. ad *Fratres Miſericordiæ* ſe contulit , eo quod a contuſione ad inguen, teſtemque dextrum , ſibi ſexenni facta , dolorem jam tumoremque ingentem perciperet. Contulerat multum augmento hujus, quod Herniam eſſe quidam rati , Brachierium admoviſſent. Ventrem univerſum durum , ac dolentem , Religioſi invenere. Paucorum ſpatio dierum miſeriis confectus, periit 7. die 1759.

Cadaveris ſectioni interfui ; ſed cum Anatome quid intricati, & monſtroſi habere videretur , totam abdominis molem , peritonæo maximam par-

partem involutam, in publicum Pathologiæ Collegium afferri curavi. Clariſſimo Profeſſore Anatomes *Gaſſer*, pluribusque Chirurgis aſſiſtentibus, en quid invenimus!

Teſtis dexter molem capitis biennis Infantis habens, durus, & dum perſcinderetur, hinc cartilagineus, illinc ſteatomatoſus, ſcrotum explebat & inguen, haud tamen ultra ſuo de funiculo pendulus. Teſti quippe, toti quanto, informis maſſa continuabatur, in inguine ſe dilatans dextrorſum ac ſiniſtrorſum, ita ut expleret univerſam pelvim & hypogaſtrium, utrinque ad ilia, & poſterius ad lumborum vertebras. Aſſurgens a medio lumborum tranſibat per medium Meſenterium, altiusque ſub Ventriculo progreſſa, cum degeneraſcente Pancreate confundebatur, & dextra portione Hepar tangebat, in ſiniſtro

autem latere haud multo altius umbilico aſſurgens, ſpatium aliquod concedebat, in quo Ventriculus cum præcipua Inteſtinorum mole, arcte locaretur: Colo inteſtino interim a latere tumoris, & Recto ſub tumore, decurrentibus.

Itaque tumor ſuperſcandendo Rectum, illud ſuo loco reliquerat; at haud ita Veſicam urinariam. Urethram quippe, elevando Veſicam, ita prolongaverat, ut ipſam Veſicam in ſiniſtro Hypochondrio verſus criſtam Ilei, ſupra molem hanc tumidam inveniremus, quo verſus & ureterem dextrum, oblique transverſim decurrentem, quoque deteximus. Siniſtrum ureterem vero, & ſpermatica vaſa, præ ſumma partium confuſione, non vidimus. Teſtis ſiniſter bonus, niſi quod Vaginalis ejusdem tunica

nica ita incraſſata eſſet, ut herniam carnoſam referret.

Quid unicus non efficiat teſticulus affectus? Quamque inſons diu malum, brevi aliquando ſummum obtineat atrocitatis gradum? At, quod plus eſt, horrenda mala Teſtis minime contuſus, ſed a cauſa interna, inflammatione, obſtructione, ſemine retento, depravato, affectus, producit. Cogitabitis forte caſtratione hæc quacunque de cauſa orta præcaveri: ſed ut experientia teſtatur, Teſtis extirpatio ſumma mala præcavet, ſi funiculus ſpermaticus adhuc ſanus ſit; extirpatio Teſtis, funiculo affecto, malignitatem exaſperat potius, quam mitigat.

Juvat *Hildanum* legere Cent. 4. N°. 64. ubi de Hernia ſpuria, carnoſa dicta, agit. Recenſitis Veterum placitis, credit ipſe Herniam carnoſam

a ſemine ſtagnante, & corrupto oriri. 2do. In dextro potius quam in ſiniſtro reperiri; ſaltem ſe, inter plures caſus, ſemel modo in ſiniſtro vidiſſe: quemadmodum e contrario Herniam aquoſam in ſiniſtro teſte frequenter, rariſſime in dextro, vidiſſet. 3tio. Hujusmodi Hernias ut plurimum in Juvenibus, qui ſanguine ac ſemine abundent, quique in cœlibatu vivant, accidere ſolere. Hiſtorias autem horrendas recenſet, interque eas unam Sacerdotis, cui dexter non modo teſtis, ſed & vaſa ſpermatica lapideam induiſſent naturam; ita ut abdomen manu comprimens, eandem profecto duritiem in dextro hypochondrio deprehenderet. „ Malum autem, ait, ad ipſam usque „ originem Vaſorum ſpermaticorum „ adſcendere, dolor ipſe, quem e „ Regione Vaſorum ſpermaticorum

„ ad

„ ad renem usque dextrum continuo
„ persentiebat, indicabat. Aderat
„ præterea Vomitus, & appetitus
„ prostratio, non tamen propter Her-
„ niam, ut quidam, qui ipsum an-
„ te me inviserat, statuit, (notavi-
mus eundem errorem in nostro ho-
„ mine commissum) sed ratione tu-
„ moris dolorosi, & duri, e regio-
„ ne fundi Ventriculi existentis, qui-
„ que compresso abdomine tactu fa-
„ cile percipi potuit.

*Ulhoorn* in notis ad *Heisteri* Chirurgiam pag. 937. habet plura similia exempla, unumque præ cæteris hominis junioris, amissa Juvene uxore, dudum cœlebis, quem similia eorum, quæ *Hildani* Presbytero contigerant, dudum passum, tandemque mortuum, aperuerat. Invenit a Teste duro, pugnum virilem magno, corpus durum oriri, hinc inde fungosum, & ad lumbos

bos ichore refertum; quod umbilico demum altius, majorem lobum Hepatis trudebat extrorſum. Similia in praxi vidi.

Contuſiones, ut vidimus antea, tremendum hunc morbum generant; ſed ſemine retento, corruptoque, eadem generari, experientia fidem facit. Pluresque forte exiſtunt, quam quas hucusque recenſuimus, cauſæ. Dum a quarta ſpecie gonorrhææ virulentæ urethra prope caput gallinaceum exeſa, emunctoria ſeminis cicatrice coaluerint, ac ſanitas poſtmodum redierit, ejusmodi mala oriri in proclivi eſt. Inepti enim, qui ſemen ejaculent, coacervant illud. Unica his medela eſt ſobrietatem per omnia colere, ut ſemen teſtibus paucum conficiatur; quodque conficitur, in ſanguinem redeat, virileque adaugeat robur. Quod quoque unicum

his

his consilium superest, qui vel in Matrimonio semen copiosum emittere soliti, jam uxores notabiliore tempore ad conjugium ineptos habeant; vel qui quondam sive Onania, sive Scortatione, multum profuderint seminis, jamque aut resipiscant, aut Religiosum, Ecclesiasticumve statum, sint amplexi. Horret animus considerando impune alibi libros tolerari, qui sceleſtissimis consiliis scateant. Lucrantur, inquiunt, hoc modo sanitatem, non attendentes ad Evangelicam exclamationem Matth. Cap. 16. v. 26. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro Anima sua?* Cura conservandæ sanitatis in omnes incumbit; sed legitimis conservandæ adminiculis, haud vero iis, quæ lex Divina citra ullam exceptionem condemnat.

Quæ-

Quæritur utrum a miranda Teſtis fabrica, an ab inexplicabili ſeminis natura fiat, ut prægreſſis, quas enarravi, internis, externisve cauſis, & Teſtis & Funiculus in monſtroſam adeo molem mutentur? Si a fabrica Teſtis, cur etiam totus Funiculus ſic fiat, qui non habet ſimilem fabricam? ſi a ſemine detento, corrupto, cur Funiculus horrendius degeneret, quam ipſe Teſtis? An forte materia ſeminis jam in ſanguine Arteriæ ſpermaticæ eſt, quæ in teſtem contuſum, obſtructum, deponi nequeuns, ſenſim ita celluloſitatem, arteriis veniſque ſpermaticis circumfuſam, infarciat? Aut quæ alia cauſa?

## §. IX. PROBLEMA OCTAVUM.

HOmo 20. annorum contudit dextram tibiam, quæ inde tumens pugni demum molem æquabat, ſpatio ta-

tamen, mirum dictu! 30. annorum indolens. Dolere tunc demum homo cepit, idque ſponte; & quinque poſtea elapſis menſibus febre quotidiana, in tertiam ſeptimanam producta, laboravit. Sub finem hujus febris Chirurgus facta cruciali inciſione enucleavit tumorem, optimaque conſolidavit cicatrice. Tumorem fruſtum crudæ carnis retuliſſe ferunt. In quintum exinde menſem bene habuit; eo vero exacto repullulat malum, ac ſpatio 6. ſeptimanarum ſic augeſcit, ut in majore diametro pollices duos, unum in minore æquaret; altitudine depreſſior, fungum æmulabatur, cujus pedunculus brevis quidem, at pollicem craſſus eſſet. Cyſticus ut olim, jam non eſt, & inferius eroſus, apertusque, nihil ſtillat. Quod porro apertus ſit, imprudentia contigit Balneatoris, qui homini ruricolæ lapi-

 dem

dem infernalem dederat, ut ter de die tumorem inde tangeret. Confumi hinc non videbatur, fed erodi, ac purpurafcere. Acceffere autem fpafmi abdominis, quibus demum refpiratio anhelofa fucceffit, maxillaque inferior obriguit.

Hoc mifero ftatu primum in Nofocomium cum uxore venit, moxque coram me emproftotonos fit, fummo cum anhelitu, & Tetano maxillæ; qui Tetanus ad mortem ufque plus minus duravit. Trifti & ipfi, & Auditoribus, facta prognofi, eum in Nofocomium fufcepi.

Anxie admodum in naturam inquifivimus mali horribilis, magis anxie in medelam. Poft facilem 30. annorum tolerantiam (quis homini perpetuam immunitatem non effet facile pollicitus?) tumor hic quinque menfium fpatio dolens, febrimque generans,

rans, enucleatus quidem fuit; at vero in oſſe, perioſteove, quid corrupti manſiſſe, teſtari videbatur idem tumor poſt 5. menſes renatus, tantaque malignitate comitatus, ut ſpaſmos tetanosque crearet. Quæſtio erat, utrum ita malignus natura exiſteret, an vero lapidis infernalis irritamento? At lapis externa modo tetigerat, quod etiam alibi haud ita malum. Ulcera, vulnera, tubercula, ejusdem attactum inculpate ferunt, etiam in locis admodum nervoſis; ut v. g. in glande penis. Hæſimus ſuſpenſi, ſaltem a quacumque cauſa hæc ſymptomata oriebantur, erant ſemper formidoloſa, ac periculoſiſſima. Tetano Maxillæ impedita deglutitio per ſe jungebatur; quæ ſane prognoſin funeſtiorem reddidit.

Dixerat *Hippocrates Aphor.* 5. - 6. „ Qui a Tetano corripiuntur, in qua-

„ tuor diebus pereunt ; ſi vero hos „ effugerint, ſaneſcunt. „ Mitigat prognoſin hanc Libr. de Morb. apud *Foeſ. pag.* 491. „ Tertio, aut 5. aut „ 7. aut 14. die perit, quos ſi ef- „ fugerit, convaleſcit. „ Et magis adhuc libr. de intern. affect. pag. 561. de Opiſtotono agens : „ Hic vero „ morbus, inquit, ut longiſſime ad „ dies 40. detinet, quos ſi effugerit, „ convaleſcit. „ Hæc quoad prognoſin ille.

Diagnoſin autem generalem pulcre format Libr. de dieb. Judic. pag. 51. „ Maxillæ velut ligna rigeſcunt, „ os aperire non poteſt. Oculi illa- „ crymantur frequenter, & contra- „ huntur, dorſum rigidum eſt, ne- „ que crura, neque manus, neque „ ſpinam inflectere poteſt. *Cum ve-* „ *ro letalis fuerit, potus & edulia,* „ *quæ prius devoravit, per nares in-*

„ *ter-*

„ *terdum exeunt : In Opiſtotono æger*
„ *in reliquis eodem modo afficitur.* „
In laudatis textibus ex libr. 3. de morb. & libr. de intern. affect. de hisce ſymptomatibus & præcipue de impotentia Deglutitionis, ſimilia refert. Porro tribus diverſis in locis agit libr. de dieb. Judicat. de his nervorum morbis *ab ulcere externo* ortis : & licet poſt 40. diem adhuc mortem homo effugere queat, abſolute tamen eum moriturum pronuntiat, *ſi potus*, *cibus*, *mucus*, *per nares exeunt.*

Curam ſuſcepturus *Cöus*, quemadmodum laudatis mox textibus, in unum collectis, patet, dat primo acria quædam devoranda ex Pipere, & Helleboro nigro. An veluti nos acribus ſpaſmum uno in loco excitamus, quo illum ſopiamus in alio? Hæc vero cum nocere per ſe poſſent, ſimul pinguia jura ſuperpotanda dedit. Eſt-

que hæc cura læſæ Deglutitioni anterior, quippe poſt illam impoſſibilis. $2^{do}$. Sternutamenta adhibet, ſcopo forte eodem, quo acres pilulas deglutiendas dederat: haud incongrue ſane; cum hoc modo ſpaſmos nonnunquam, ſingultusque, ipſo illo Aph. 6—13. notante, ſolvamus. $3^{tio}$. Partes tetano affectos emollientiſſimis fovebat, ut pro rigiditate adipiſcerentur mollitiem. Sed $4^{to}$. emollientibus hisce ſtimulantia addebat, ut fibræ relaxatæ in naturalem contractionem abirent. $5^{to}$. Corpus interim quantum poterat, emollientiſſimis implebat. $6^{to}$. Si Deglutitio ceſſaret, naribus injici liquorem jubebat, ut, dum rigida maxilla admittere Alimenta ac Medicamenta, eorumque Deglutitionem adjuvare, renueret, liquor per nares injectus fauces ſubiret. Hoc porro ultimum mihi diffi-

cul-

cultatem parit. Experimentum tentavi in me, & compluribus aliis, ſine ſucceſſu. Patitur homo utcumque, ſi os apertum eſt, & lingua obſequioſa; at vero quicumque noſtrum ſimulato maxillæ tetano, (ſine quo experimentum nihil eſt) hanc per nares injectionem ſive debilius, ſive fortius, factam ſuſtinuit, fere ſuffocabatur. $7^{mo}$. Peculiarem curam Tetani habet injectu, affuſu, frigidæ ad corpus aquæ; religioſe tamen caſum noſtrum ab hac cura excipiendo. ,, Eſt ,, vero inquit Aph. 5—21. ubi in Te- ,, tano $1^{mo}$ ſine ulcere (noſter ulcus ,, habebat) juveni bene carnoſo (no- ,, ſter quinquagenarius eſt) æſtate ,, media (nobis inchoabat Aprilis) ,, Frigidæ multæ affuſio caloris revo- ,, cationem facit: calor autem hæc ,, ſolvit. ,, Et Libr. 3. de Morb. adjungit: ,, poſt Affuſam plurimam fri-

„ gidam, vestimenta tenuia pura su-
„ perinjicito, tuncque ignem ne ad-
„ hibeto.

Multis exemplis Vir magnus didicisse videtur Tetanos non modo non curari injectu frigidæ, verum etiam eosdem, si nondum adsint, generari. Ait enim Aph. 5—22. „ Frigi-
„ dum mordax ulceribus . . . . fa-
„ cit . . . . spasmos, tetanos „. Unde & vetat Aph. 5—23. affusiones frigidæ in ulcere vetusto, in Erysipelate ulceroso. Usu quoque cognovisse videtur Tetanos in remotioribus locis frigidæ aquæ affusione non sanari, nisi affusio illa in ipsum locum fieret, unde Tetani causa; alioqui ulcera sic claudi possent, ut frigida iisdem minime noceret, interea dum ad Tetanoideam plagam frigidam affunderemus. Vel consideravit, ut Doctiss. *Russicus Archiater* in hunc

Apho-

Aphorifmum advertit, tetanos tum a nimia humorum copia, rarefactione, ac motu, oriundos; tum a prava materia ulcerum: in his nocere affufam aquam frigidam, cum ulcera prava frigore in pejus ruant, adeoque tetanos inde jam genitos, infolubiliores reddant; illis vero prodeffe, quia, quamvis contractionem automaticam frigida augeat, minuit tamen contractionem vitalem: at vero cafum rariorem effe Tetani ab hac caufa orti, frequentiorem alium ex prava materie. Hinc concludimus dicente illo: „ *Eft vero ubi in Tetano*, &c. id perinde effe, ac fi diceret: *Contingit vero nonnumquam in Tetano.* Sicque illud optimi interpretes intellexere. Hinc, quia & anceps hæc cura, & rara eft, & tot exigit cautiones, & cafum noftrum penitus excludit, eandem haud inftituimus.

Videbantur autem duo maxime hic indicari. Primo causam Tetani in ulcere aggredi. Secundo effectus sopire causæ. Certa utique mors erat, si causa in Tibia non mutaretur; nonnulla spes, (pauca tamen ob mali progressum) poterat, causa ablata, concipi. Nervi ob iram, vindictam, zelotypiam, mirifice affecti, ablata causa afficiente, sæpe pacantur; at sæpe minime, quando affectus causæ, ablatæ quamvis, tantus fuerit, ut ipse ille nunc sufficiens causa sit perpetuandi motus. Exemplo viri militaris Cap. 2. N. 3. id patuit. Attamen causa manente, effectus perennes erunt; ablata illa, spes est aliqua curationis, dummodo effectus causæ jam non fungantur vice causarum. Igitur auferendum tumorem Tibiæ conclusimus, maxime cum remedia demulcentia & paregorica jam frustra a sapiente Me-

dico

dico adhibita essent. At vero qua methodo auferendum? Enucleatione? jam tumor minime cysticus adparet. An collum ejus ligando? Sed & collum nimis amplum est, & tempus ampli colli ligatura solvendi nimis longum, & dolor inde oriundus, novis convulsionibus, tetanisque creandis, aptus natus. Prudenti igitur cultro auferendus. At vero ingens homorrhagia, quam ante octiduum ulcere prodiisse narrat, an non contra indicat? Hanc tortili machina arteriæ femorali circumponenda præventuros nos sperabamus. Unde 1. Aprilis D. *Leber* tam suspensa manu tumorem exscidit, ut id æger ignoraret, nisi ultimo momento. Ablatus tumor partim carnosam, partim adiposam, partimque cartilagineam materiem, & multa vasa sanguinea iisdem intertexta, referebat. Pare-

go-

gorica & Camphorata Emulſione patiens uſus, tetanodes nihilominus manſit, & inſequente nocte factus eſt emproſtotonus.

Sed mox ab operatione loca tetanoidea externis remediis aggreſſi ſumus. Egregium effectum in juvene, tetanum maxillæ ex Lue venerea habente, videramus a *Paræi* conſilio, fimum equinum adplicandi. At tentamen hoc effectu caruit. Inutilia quoque Cataplaſmata erant ſeu emollientia ſola, ſive emollientia cum Camphora. Enematibus communibus prægreſſis, viciſſim alia tum nutrientia, tum opiata immiſſa ſunt. Expertus pluries in ſpaſmo, Deglutitionem integro die plane impediente, Enematis, unciis 5. 6. Lactis, Laudani gr. 3. 4. parati, mirandos effectus, idem tentavi, ſed fruſtra. Incaſſum quoque pluries injectum in anum oleum.

Nec

Nec juvere multæ ſiccæ cucurbitæ ad guttur & maxillam pluries, ac numeroſæ, admotæ. Acria Cataplaſmata, Veſicantia ad eundem locum, ut & alibi adhibita, ſine effectu conſtante. Imo tumor intra triduum avellanæ magnitudine repullulavit; qui, conſilio habito, denuo ad perioſteum, majore tamen quam prius dolore, exſcindebatur. Febris vere ardens juncta poſt binos a prima operatione dies fuit, cum pulſu duriſſimo. Spatio ſex dierum durante illa, ſanguis quinquies ad notabilem copiam detractus, ſemper cruſtam denſiſſimam geſſit, ægerque diu noctuque caloris intolerabilitatem conqueſtus eſt; interea dum Thermometrum, bis die octo minutis adhibitum, paſſim 98. aut 99. gradum, ſemel modo 100. notaret: ultimis quin-

que diebus paucæ duntaxat urinæ guttulæ prodierunt : nono die periit.

Anatome notanda hæc dedit. Tribus diebus, minus ſex horis, a morte elapſis, nemo, niſi ſummam vim adhibendo, maxillam vel leviter diducere potuit. Idem antea obſervaveram in femina, quæ a Tetano maxillæ, rabida ira ſuſcepto, in Noſocomio obierat. An igitur contractio, eaque tam valida, tanta a morte tempore, in tendinibus ac muſculis perennare potuit? Totum Palatum fornicatum, Velum pendulum, Uvula, Oeſophagus totus, albedinem, non ab adnata cruſta, ſed ab ipſa ſua politiſſima ſubſtantia referebant. Ventriculus nonnihil reſervaverat ſuæ villoſæ tunicæ, ut etiam quibusdam in locis inteſtina; at vero eadem inteſtina hinc inde magnis inflammata plagis, coloreque purpurea, eandem

ha-

habuere glabritiem. Pinguetudo immensa in toto interno corpore, atque maſſa ingens pinguedinoſa, Ventriculum duos in ſaccos comprimendo dividens, ut jam Cap. 1. N°. 4. notavi, licet homo hic nullam habuiſſet in vomitus propenſionem. Coli Ligamenta tenſiſſima, unde idem contractum valde in longitudine, amplitudine autem expanſiſſimum. Bilis veſica nigerrimæ bilis duas uncias continebat. Veſica urinaria prorſum vacua; unde patebat, quando urina 5. dierum ſpatio vix paucula excernebatur, defectum ſecretionis, ſive iſchuriam ſpuriam, ante mortem adfuiſſe. Ad Mediaſtinum, ac Pericardium, multa vaſa, quæ & magna, & turgida. Paries dextri cordis tenuis admodum, craſſa ſiniſtri. Aorta a corde usque ad abſolutam ſuam curvaturam in ſaccum naturali duplo

am-

ampliorem dilatata erat. Polypi craſſi in utraque majori arteria; polypus ex arteria in cor pendulus, bulbi inſtar, exterius flavus, coagulatus, interius autem cavus, ac ſanguine purpuraſcente, omninoque fluido, plenus. Aſpera arteria cum pulmonibus bona. Cartilago thyroidea plane oſſea. Reliqua viſcera, partesque ſaniſſimæ.

Quod jam ad os Tibiæ adtinet, tres ſupra illud eminentias exiguas, cum perioſteo haud cohærentes, ſed in celluloſitate libere locatas, deprehendimus: os autem Tibiæ ipſum Tophum pollicis lati magnitudine habuit. Oſſe ſerra diviſo, bona medulla, bonaque oſſis interna ſuperficies.

Nunquid Lapis infernalis afficiundo nervum in tumore, ſic alios in corpore nervos affecit, ut, cauſa ablata, nervi, tendinesque, & muſculi,

con-

contractionem suam perpetuarint? Imo ad expletos fere tres a morte dies in maxilla continuarint? Et postremum hoc, quibus demum Physiologiæ legibus explicabimus?

## §. X. PROBLEMA NONUM.

HUjus anni 27. Martii Expertissimus & Eruditissimus Medicus *Guarin* copiam mihi fecit cadaveris juvenis 19. ann. qui elapsis exinde 5. septimanis ad Nosoc. *Fr. Misericordiæ*, cujus vigilantissimus Physicus est, delatus, debilis, vix anteactorum memor, sui morbi anamnesim dare non potuit; id unice deplorans, quod præ miseranda rerum omnium egestate in has calamitates incidisset. In hac debilitate dextro latere doluit, difficulter animam duxit, tussim frequentem habuit, pulsumque celerem, ac debilem; sitibundus, alvo obstructus.

Prudenti remediorum uſu ſpatio octidui recreari primo viſus, anxietate dein ingenti correptus eſt, & 12. anxietatis hora exſpiravit.

Aperto abdomine, peritonæum hic lineam, ibi tres, quatuorve, craſſum, cæterum album, granuloſum, tuberoſum, ubique. Omentum non inveniebamus. An ideo tam craſſum peritonæum, quod omentum a nexu ſuo cum colo & ventriculo ſolutum, in unam informem membranam cum illo degeneraverit? Quidquam tamen, omento ſimile, veluti extenſum, atque connatum, cum inteſtinis, apparuit nobis; verum minime Omentum fuit, cum Marſupii inſtar æque tegeret inteſtina ad dorſum, quam ad anteriora, arcte cum illis ubique coëuns. Probe autem & lente producto examine, vidimus clare externam omnium inteſtinorum tuni-

nicam ab inteſtinis omnibus receſſiſſe, & cum vicini inteſtini tunica ſecedente coaluiſſe. Erat autem tunicæ externæ ſeceſſus in toto inteſtini cujusque ambitu. Quando enim uno in loco perſcideram hanc extimam tunicam, digito ſub illa potui perambulare circum totum inteſtinum, ipſiusque inteſtini ex hac vagina educti portionem adtrahens, evaginavi omnia inteſtina ex ſua tunica externa, ſine vel minima laceratione. Stupentes omnes hunc mirum caſum, Meſenterium dein & Meſocolon contemplabamur: in illis mirabamur nunc laminas utriusque ſic abire in vaginam hanc, ſeu tunicam olim externam inteſtinorum, ut nonniſi una videretur eademque membrana. Utque ſuperficies tunicæ inteſtinalis obſita erat innumeris ubique flavis granulis, ita & Meſenterium, ac Meſocolon. Ver-

bo dixerim nullam differentiam inter Meſenterium & Meſocolon ab una parte, & extimam inteſtinorum tunicam, jam ablatis inteſtinis adparuiſſe, præterquam quod laminæ illorum cellulofitate unitæ eſſent, hujus vero a ſe invicem liberæ. Proinde clare demonſtrabatur id, quod Anatome docet, tunicam externam a Meſenterio & Meſocolo inteſtinis dari; 2$^{do.}$ Ligamenta Coli ab hac tunica naſci, manſerant enim in illa hæc; evaginato autem colo, levis modo tenſio, minorque tantummodo extenſilitas, quo in loco affuerant ligamenta, aderat. Quod porro in principio ideam unitæ membranæ, omenti inſtar, univerſam anteriorem inteſtinorum molem poſterioremque tegentis apparuerat, id inde natum eſſe poſthac intelleximus, quod tunica hæc externa, pluribus in locis lacera, cum lacera

par-

parte vicinæ inteſtini tunicæ, coiviſſet, hincque unicam atque æquabilem membranam repræſentaret. Unde inteſtina, in parte a Meſenterio averſa, ſua hac tunica deſtituta erant; & prope Meſenterium ab eadem ſine cohæſione contegebantur.

Inteſtinorum longitudinem definire difficile, hincque variare in hac definienda videmus Anatomicos. Si a Meſenterio ſeparantur, longiora brevioraque erunt, prout plus minus de Meſenterio adhæſerit. Eſtque in homine uno præ alio differentia quandoque magna. Cæterum vix differret menſura multorum; niſi proprio errore noſtro differentiam menſurarum ingentem ſtatueremus. Id ut evitetur, notities requiritur varietatis ulnarum pedumque apud varias gentes. In pedibus paucior eſt diverſitas, quam ut notabilem differentiam in

longis corporibus menſurandis inducat, quemadmodum pag. 117. oſtendi. Hinc quando v. g. *Gliſſonius* tenuibus dat 33. pedes, *Garengeotte* 22., ſtatuendum eſt, aut *Gliſſonii* hominem multum ab eo *Garengeotti* differre, aut *Gliſſonium* Inteſtina curatius a Meſenterio ſolviſſe. Ubi vero Autores longitudinem ulnis definiunt, accuratius attendendum eſt. *Hollandicam* v. g. ulnam *Viennenſis* $\frac{1}{4}$. excedit; *Pariſina* $\frac{1}{2}$. *Viennenſem*. Optimam menſurandi facultatem evaginata noſtra Inteſtina dabant: elongatiora quidem extrahendo facta, primum ad naturalem amplitudinem aëre inflabantur. Tenuia æquabant 12. ulnis *Viennenſibus*, craſſa ſesquiulnæ: habebant igitur una ſumta 31. pedes *Viennenſes*. Differentia autem pedis *Viennenſis* cum aliis pag. 117. notata fuit.

Si

Si igitur homo ſit 5. pedum, & inteſtina ejus 31. pedes longa ſint, habebitur paulo plus quam ſextupla longitudo inteſtinorum, quam quæ eſt hominis. Porro ipſi homines ratione Inteſtinorum inter ſeſe differre queunt, idque naturaliter (neque de monſtroſa brevitate in Chirurgia *Dionis* deſcripta, aut de ſimilibus, hic ſermo eſt); adeoque quintuplo aut ſextuplo Inteſtinorum longitudo major, quam corporis, unde deſumta ſunt, definita a variis Autoribus, haud multum a noſtra obſervatione differt.

Præcipue autem hic quæritur, cujusnam generis hic morbus fuit? quove nomine appellandus? Quantum mihi nota Hiſtoria medica eſt, ſimilem nondum reperii. Qualisnam Inteſtinorum maxime craſſorum, actio, qua, datis ad id remediis, pluries ſeſe ante mortem evacuaverint? Qua de

caufa genita hæc univerfalis inteftinorum, ab externa fua tunica, folutio? Cur nulla inde læfio nata, aut affectio obfervata Inteftinorum? Malum enim antiquum fuiffe, abfoluta omni in loco feparatio tunicæ ab inteftinis; firma tunicæ externæ, in locis mutui contactus, cohæfio talis, ut unam modo membranam referret; abunde evicerunt.

## §. XI. PROBLEMA DECIMUM.

FEmina Lue Venerea affecta magnum corpus intra dilatatiffimam Vaginam, ex eadem vix propendens, geffit. Sex feptimanis in *Pafmanniano* Nofocomio fuit, alvum bonam (quod præprimis notandum) femper habuit ibidem, morbi autem gravitate circa medium Januarii hujus anni obiit. Uterum, Vaginam, Inteftina, expertiffimus ibidem Phyficus *Collin*

mi-

mihi ad publicam demonſtrationem miſit.

Ileum inteſtinum utero arctiſſime unitum erat, ope duri tumoris, pugnum virilem magni, in Inteſtini parte a Meſenterio averſa hærentis, idemque ideo ultra pugni magnitudinem extendentis. Nulla tamen prava ſymptomata hinc orta fuere; cum Inteſtini pars, Meſenterio nexa, canale ſufficienter amplo tranſitum Chylo concederet. Fuit hernia inteſtinalis intra Vaginam, qualem *Garengeotte*, aliique notarunt. Igitur femina hæc cum tumore pugni magnitudinis in ipſo Inteſtini Ilei cavo, cum hernia inteſtinali intra Vaginam, ſine ullis letalibus alterutrius morbi ſymptomatibus, longo admodum tempore vixit.

In Hernia ejusmodi, ubi portio inteſtini ita intercepta eſt, ut quæ in-

tra abdomen portio ſit, libera maneat, apertamque viam Chylo aut fecibus conciliet, mortem toties, poſt omnia Herniæ incarceratæ ſymptomata, ortam vidimus; idque, ut videtur, a producta aut inflammatione, aut ſpaſmo, a parte conſtricta ad eam, quæ libera eſt. Hic pars Ilei inteſtini pugni magnitudinis tumorem habuit, cum utero intime, lateque concrevit, & ab uteri latere in Vagina pependit. Cur nunquam affecti adeo graviter & monſtroſe inteſtini, cur nunquam Herniæ Vaginalis, ſymptomata apparuerint? Prævideo, qui problematis ſolutionem tenere ſe autument; ſed rogatos eosdem volo, an ipſi, ſi multos caſus practicos Ileorum & Herniarum viderint, ſibimet tali ſolutione ſatisfaciant?

CA-

# CAPUT V.

## DE CALCULO VESICÆ URINARIÆ, ET LITHOTOMIÆ.

§. I. *Quinam aut nullam, aut notabilem, aut integram quietem, in calculi tormentis, ab Aqua Calcis, & Uva Ursi, adipiscantur. An, qui nullam, his dissuadenda sectio, ob degenerem viscorum suorum conditionem? Communi modernorum methodo instituta sectio, dissuadenda sane; quæ vero methodo* Fratris Cosmi, *suadenda, eo quod non periculosa, & qui post illam moriuntur, non ab illa pereant, sed quod morbus ipsorum jam letalis existat. Unde data hac prognosi videtur posse tuto institui. Occasio cur in Nosocomio hæc celebris fuerit.* §. II. *Prima sectio cum ambigua admodum prognosi instituta; cujus occasione ipsa Methodus exacte enarratur, cum omnibus cautelis in eadem observandis, ratione patientis, operatoris, adjutorum. Mors patientis, & Anatome. Observata necessaria ex cadavere petita in Methodi laudem. Historia secunda fortunatam sectionem habet. Historia tertia sequitur, ubi in congenito malo,*

*lo , prognoſi ambigua formata , ſectio optima fuit ; ſed puris perenni confectione a degeneratione partium nata , & effluxu , vulnus poſt ſe longo tempore apertum reliquit. Hiſtoria quarta exhibet ſectionem in congenito quoque , ut videtur , malo , quæ poſt ambiguam prognoſin , feliciſſima fuit. Et quinta hiſtoria in connata Lithiaſi perfectam ſectionem refert. Hiſtoria ſexta in deſperato fere caſu ingens a ſectione levamen, non perfectam tamen curam , habet. Hiſtoria ſeptima , omni ex parte feliciſſima , licet morbus congenitus videatur. Hiſtoria octava Caſum refert pueri ante annum communi methodo , hoc ipſo anno bis ſecundum eam* Fr. Coſmi , *ſecti , ubi comparatione facta inter ſymptomata , quæ hic puer a ſectione modernorum primum, & nunc ab eadem methodo* Fr.Coſmi *bis inſtituta, habuit. Simul hujus præſtantia præ illa patet. Hiſtoria nona felicem omnino curam refert. Hiſtoria decima optimam quoque curationem continet, ſed ob quandam in methodo mutationem , quæ communi modernorum ſectioni laterali ſimilis erat , ſymptomatibus comitatam gravioribus.*

§. III. *Ex omnibus antedictis 23. Scholia ſequuntur , quæ agunt de variis ſecandi methodis , deque ea* Fr.Coſmi *dicta , tum de variis in tota cura obſervandis , de urina , glutine , pure , calculoſorum.*

§. I.

§. I. DE hoc morbo *Auſtriæ* Endemio, plebejis tamen, quam nobilioribus familiariore, ut in omnibus hujus Operis Tomis egi, ita ob experimentorum crebritatem de eodem hoc Capite iterum fuſe agere decrevi. Ac primo quidem loco, quæ toties antea dixi, repetam: iteratis experimentis liquido conſtare 1$^{mo}$. Plures numero homines eſſe, quibus aut Aqua Calcis cum Sapone, aut Uva Urſi, ejusmodi levamen afferant, ut cum præſente calculo ſint adeo ſani, & in functionibus ſuis, præſertim Ouropoietica, adeo valentes, quam ſi prorſum liberi a calculo eſſent. 2$^{do}$. Dari nonnullos, quos ad tempus quidem, haud vero conſtanter, levent. 3$^{tio}$. Non paucos quoque reperiri, quibus ne hilum quidem opitulentur. Hos ultimos repetitis experimentis didici nonnullas habere

par-

partes, Veſicam, puta, aut Ureteres, aut Renes, aut horum plures ſimul, ſic a ſtatu ſano degeneres, ut reſtitui nequeant, hincque remedio dato, vel non dato, antiquas ærumnas continuent. Qua eadem in cauſa, eosdem Lithotomia ſaneſcere poſſe nego, quod hæc calculum auferendo, degeneres notabiliter partes non redintegret.

Hisne igitur ſectionem diſſuadebimus? Profecto ſi a ſectione multi pereant, ut Diaria ſectionum luculenter demonſtrant, parvum illud ſolamen, quod nonnulli inde percipiunt, ut vitam paullo minus miſeram ad tempus protrahant, mortemque procraſtinent, non poteſt acceleratæ multorum æquiparari perniciei. At vero ſi talis ſit ſecandi methodus, ut vix inde, niſi penitus deſperati moriantur; ſi ea ſit ſectionis fortuna, ut

etiam

etiam ii, quibus degeneres utcumque hæ partes, vel inſigne levamen habeant, vel etiam in integrum reſtituantur; ſi denique illud artis emolumentum ſit, ut calculum nullo cum vitæ periculo educat; erit ſectio fere omnibus commendanda. Quinimo cum longe tutius eſt calculi cruciatu liberari, ablato, quam remanente calculo, erit hæc præſtantiſſima ſecandi ars quibuscunque ſymptomatum curandorum methodis præferenda.

Porro ejusmodi eſt ſecandi methodus *Fratris Coſmi*. Quod ne precario aſſeruiſſe videar, hujus methodi hiſtoriam paucis adornabo.

Aderat hac hyeme cum *Regia Principe Lotharingia* ejusdem Conſiliarius & Chirurgus *Cambon*, vir in omnibus fere, quæ perfectum Chirurgum formant, inſtructiſſimus, ſcientia, peritia, dexteritate, probitate. Narra-

rabat mihi ſe hanc normam ſecandi primo *Pariſiis* ſub auſpiciis Reverendi Autoris feliciter exercuiſſe, poſteaque alibi frequentius. Exhibebat mihi famoſum illum, quem *abſconditum* vocant, cultrum Autoris examinandum. Noveram autem contradictiones, quas *Coſmus* a parte haud incelebrium in Arte Magiſtrorum, ac ſi ars ejusdem perniciosiſſima foret, perferendas habuerit. Extat in hanc rem liber, cui titulus: *Receuil de Pieces importantes ſur l'Operation de la Taille, faite par le Lithotome caché, Paris 1751.* in quo de hac re utrinque deceptatur. Porro experimenta, in vivis facta, eo tempore pauciora extabant, quam ut Autor methodum ſuam contra vehementes Adverſariorum clamores ſartam tectam præſtaret. Verum curæ, quas ſane numeroſas egregius *Cambon* feliciter perfe-

ce-

cerat, convincebant me de methodi præſtantia. Unde humaniter ab ipſo petivi, ut ſuam in Noſocomio noſtro dexteritatem vellet exercere; id quod cum lubenter annuiſſet, operam dedi ut in urbe, in ſuburbiis, in vicinioribus pagis, ſufficiens Calculoſorum numerus colligeretur, quorum hiſtoriæ ordine ſequuntur. Præſentia ſua operationes iſtas cohoneſtarunt ſæpe celeberrimi in Arte Viri, Magnificus Rector de Fetzer, Ill. Præſes L. B. Van Swieten, Spectabilis Decanus Dietmann, omnes Magnifici D^ni^ Archiatri, ſemel quoque SS. MM. Oculiſta dexterrimus Wincel, ac multi alii Medici & Chirurgi.

## HISTORIA I.

*N. Keller*, biennis infans, ſtranguriam dudum jam paſſus, 26. Aug. 1757. ad me adductus eſt. Cum

D[no] *Leber* illum examinans asperum calculum detexi. Dedi Uvam Ursi a granis 4. de die incipiendo, & augendo sensim ad grana 40., interpositis ob miserandos infantis ejulatus paregoricis: exiguum initio levamen fuit, deinceps vero insigne; ita ut annos 1758. 1759. tolerabilissime transegerit, modo remedium aliquando non negligeret. Contigit autem ut Autumno 1760. quotidiana febre, & anxietate pectoris laborans, spatio 10. dierum in Nosocomio detineretur, eoque tempore Uvam Ursi minime assumens, urinam tamen sanorum more optime, crebriorem tamen & pauciorem, redderet; idque posthac, parentibus eum repetentibus redditus, integro mensis spatio continuaret. Exinde vero malum remedio haud ultra obedivit. Unde degenerationem partium jam præsentem,

tem, & ni caveretur, futuram demum irreparabilem metuens, obtuli hunc puerum, nunc qninquennem, secandum D. *Cambon*, id præfatus, quod metuerem ne forsitan malum jam incurabile esset; quod tamen, cum & tuta adeo & blanda ejus methodus esset, nihil nos periclitaremur, efficiundo, ut minus miser, tardiusque, puer moreretur.

Igitur purgatione prægressa, & ventre etiam paucis ante operationem horis enemate eluto, D. *Cambon* operationem fecit 15. Dec. 1760. En autem methodum.

Operator in pulvinari mensæ imposito locat puerum, capite paulum elato, manuum carpis laqueo cifram arabicam 8 referente, cum tibiis molliter ligatis, & femoribus versus abdomen, sed extrorsum, utrinque ab apto famulo detentis; sic ut anus tan-

gat marginem tabellæ. Inducit primo Itinerarium dictum, crena in dorso suo excavatum, & adhuc, pro more, ejusdem apice se facit de calculi præsentia certiorem. Versus sinistrum latus tunc inclinat Itinerarium, quasi tuber ossis ischii sinistri quæsiturus. Deinde dat perito Assistenti illud sic firmatum, & dorso suo ad sinistrum perinæi latus oblique appressum, manu firma tenendum. Notandum tamen os ischii præter propter tantum dirigere itinerarium: nam non diverso modo in sexu, sed in sexu virili etiam, tuber ischii nunc remotius, nunc propius, abest a media pube, vel coxyge.

Rebus sic præparatis digito quærit locum itinerarii, digitoque supra illud posito, operator facit cultello communi aperturam in elevatiore parte, donec cultello suo tangat nudam iti-

ne-

nerarii crenam, & apice cultri in crena firmato, ducit cultrum per integumenta per aliquot lineas, oblique deorſum, quo viam paret ſequenti inſtrumento.

Repoſito primo cultro, apprehendit cultrum, lithotomum ocultum vocatum, qui prius adaptatus eſt ad anguſtiorem, amplioremve ſectionem, prout major minorve calculus judicatur, aut junior eſt, adultiorve is, cui operatio fit. Numeri ſunt notati in ambitu hexagoni manubrii illius inſtrumenti, quod in hoc cultro occulto vice vaginæ fungitur. Numeri hi deſignant, 5. lineas, 7. lineas, 9. lineas, 11. lineas, 15. lineas longitudinis faciendi vulneris. Manubrium Gladioli, in vagina recluſi, tunc adaptatur ad numerum requiſitum, & notatum in manubrio inſtrumenti vaginalis.

Hoc facto, apex cultri lithotomi occulti per factam aperturam adplicatur ad crenam itinerarii. Operator cum cultro lithotomo quærit apicem itinerarii, ubi crena ejus repagulum, ſive aggerem habet, impedientem ne cultri lithotomi apex, aut exeat ultra, aut elabatur ex crena. Jam igitur habens ſuum punctum certitudinis, quod in veſica ſit, eoque ejus, quo oportet loco, educit itinerarium ex veſica. Dirigit tunc cultrum lithotomum in vulnere, ut gibbum ejus dorſum ad inferiora ſpectet, & ut anterior cultri, ſeu potius ejusdem vaginæ, pars, ſuum punctum fixum ad os pubis habeat. Hæcque omnia ita dirigit, ut ſimul manubrium circiter horizontaliter ponatur. Et ubi primo totum cultrum ita tenet, ut dorſi acuties recta deorſum vertatur, tunc ad lineæ latitudinem circiter

ter leniter inflectit manubrium ſuperiore ſua parte introrſum, verſus medium pubis, ut culter ſciſſurus ſit in illa obliqua linea, in qua prior ſectio viam jam monſtrat, quæque ſic oblique verſus tuber Iſchii dirigitur. Firmiter tunc manubrium majus ſeu vaginæ, tenens, premit manubrium gladioli, qui gladiolus, dum operator inſtrumentum ad ſe trahit, exacte tot linearum vulnus facit, quam antea definitum fuerat, ſcindendo ſic ab interioribus extrorſum verſus.

Via igitur ampla jam patet. Per illam forceps inducitur, digito in vulnus miſſo viam monſtrante, vel inducto Conductore, & calculus quæritur. A principio operationis, id eſt, ab inductione itinerarii, tria minuta elapſa erant, quartumque minutum calculi expleviſſet eductio, ni adeo friabilis is fuiſſet, ut in grumos fa-

cescereret. Hinc grumis quærendis, educendisque, adhuc quatuor minuta prælabebantur. Cum vix se moveret tota operatione, vix clamaret infans, exemplum dedit insensibilitatis in parte sensibilissima, absque conclusione, quod vesica, musculi, nervi, cutis, non sentiant. Pro more fomentum olei rosacei ventri imponebatur; sed venter unquam nec tumuit, nec doluit. Nulla facta est vulneris deligatio, ut esset liberum stillicidium urinæ, liber exitus relictorum forsitan ramentorum calculi. Suasi aliquoties fieri injectiones olei lini cum aq. hord. quo ea ramenta certius eximerentur. Emulsa paregorica dedi per plures dies. Suasu quoque Operatoris dedi quavis hora unc. iij. aq. hord. & omni trihorio totidem juris carnis sine pane, post diem tertium panadellam. Hæc in omnibus ægris nostris exacte ob-

obſervavimus, cum optimus Operator ſæpe aſſereret ſine multo admodum potu, & tali diluto nutrimento, non raro ſymptomata prava obſervari, quæ alioqui non obſervarentur. Si res pro votis cedat, ſenſim dantur poſt 8. diem carnes teneriores, & legumina.

Interim febris continua remittens perpetuo aderat: quæ cum die 10. adhuc continuaret, imo augeſceret, communi conſilio cortex peruvianus dabatur, cui ob vermium ſymptomata ſemen ſantonici additum eſt. Et vermes quidem teretes tres excrevit, febrim autem jugiter habuit. Reſpiratio nunquam ipſi aut ante operationem, niſi ante tres menſes in morbo, aut poſt operationem, impedita fuit; nec ulla unquam tuſſis. Verum per urethram non minxit unquam, niſi bis pauxillum, ex quo

operatio facta fuit. Febre demum totus consumebatur, & quatuor ultimis vitæ diebus respirationem cum roncho habebat, anxius maxime erat, ita ut quovis momento alium corporis situm quæreret, tandem 60. ab operatione die obiit.

Cum Operatore, Chirurgo nostro, aliisque præsentibus, Anatomen feci. Cicatrix formata vulneris sex septem lineas æquabat; punctulum modo in cicatrice apertum erat, per quod juge fuerat urinæ stillicidium. Patuit tunc evidenter factam esse sectionem per totum vesicæ collum, ita ut superior ejus pars leviter tangeret vesicæ cavum, inferior pars principium urethræ prope collum. Sit mihi fas nunc in supino cadavere secundum situm naturalem loqui, & inferiorem vocare urethram, superiorem vesicam: quamquam paullo ante inver-

so

ſo ordine has partes nominaverim, dum jacente ægro in menſa, femoribus ad abdomen reflexis, operationem explicarem.

Igitur cultellus ordinarius facit ſectionem ſupra crenam itinerarii in principio urethræ, principioque colli veſicæ. Culter lithotomus in hanc aperturam inductus, perſcindit collum totum, & in hoc puero, cum culter lithotomus ad vulnus ſeptem modo linearum adaptus eſſet, portionem duntaxat parvam veſicæ. Porro dum idem culter lithotomus in veſica poſitus, ab interioribus exteriora verſus omnia æquabiliter perſcindit, ſimul æquabiliſſime tranſcindit totam Proſtatam.

In veſica porro ne grumulus quidem calculi ſupererat. Quia vero impoſſibile fuit in operatione omne grumoſum ſimul & ſemel cochleari

au-

auferre, fateri oportet hanc methodum, qua post sectionem vulnus sibi dimittatur, ea saltem de causa laudandam esse, quod, libero per vulnus urinæ effluxu, quævis calculi diffracti ramenta, imo & alter, si affuerit, calculus, commode integreque, exeant. Eandemque ob causam repetitas in vesicam injectiones utiles esse.

Obliquitas sectionis, prout exposita est, si in cadavere examinatur, evitat exacte Rectum Intestinum, modo id non turgeat. Hinc recte cura habenda ante operationem, ut illud purgatione, enematibusque, a fœcibus & flatibus rite expurgatum, adeoque ut flaccidum sit. Alioqui fatendum est, hac secandi norma Rectum rarissimo casu posse lædi. Cum sæpius ex Nosocomio Civico nobis cadavera compararemus, ut in iisdem

hanc

hanc methodum exercentes, videremus ejusdem effectus, semel nobis hicce casus contigit. *Franconiana* methodo vesicam supra pubem incidentes, calculum duos pollices in majori, unum in minori diametro habentem, eidem imposuimus, vulnus consuimus. Operationem cultro Lithotomo oculto secundum exactas regulas perfecimus. Erat corpus adulti, & magnus calculus: hinc gladiolum aptavimus ad 15. lineas. At minus foramen fuit, quam ut tantæ molis calculus, una cum forcipe transiret. Apertura cultello tribus lineis producta, lapis educebatur. Curatissime tunc effectum sectionis per omnes disscissas partes examinantes, invenimus Rectum, quod antea evacuatum non esset, perscissum fuisse. Quare Recti Intestini probe evacuandi cura religiosissime semper est obser-

van-

vanda. Equidem asseverabat operator id se necdum vidisse unquam, qui hanc operationem tam in mortuis, quam in vivis, octuagesies & quater jam peregisset. Attamen quod nobis in hoc cadavere contigit, contingere pluries potest, si cura evacuandi negligatur.

Iteratis cadaverum experimentis, & tunc, & postea sæpius, didicimus eos, qui in operatione femora dirigant, multum posse ad faciliorem, difficilioremque calculi eductionem facere. Si crus sic gubernent, ut genu ducatur multum extrorsum, spatium inter tuber ischii & ossa pubis, angustatur; sin vero genu introrsum magis ducatur, hoc spatium ampliatur. Observatio hæc videtur attentionem in operando mereri.

Vesica urinaria tam parva erat, ut duarum unciarum calculum vix potuis-

tuiſſet comprehendere, craſſitudinem ceterum trium linearum fere ubique habebat, unde etiam compactiſſima fuit. Similes calculoſorum veſicas prioribus Tomis plures deſcripſi. Nunquid dudum tam parva ac craſſa veſica fuit? aut demum poſt operationem ſic reddita eſt? Utrique ſententiæ militant rationes. Ita eam dudum fuiſſe, ut negemus, operatio videtur ſuadere, in qua varia inſtrumenta vix moveri potuiſſe apparet, ſi adeo & contracta, & præ craſſitie vix dilatanda veſica fuiſſet. Attamen cum veſica calculum unciarum duarum fere potuerit continere, parvusque adeo hic calculus fuerit, ut omnia collecta ramenta pondus 71. gran. non excederent, ſpatium utique ad admittendum Itinerarium, & cultrum Lithotomum, iisque eductis forcipem, qui certe leviter modo intravit, adfuiſſe

vi-

videtur. Potuit ergo vesica fuisse tam parva ante operationem; sed reapse tam parvam, contractamque eandem ante operationem jam fuisse, arguunt sequentia. 1$^{mo}$. Quod calculi sectio non soleat sic reddere vesicam. 2$^{do}$. Quod vesicas ita contractissimas invenerimus in calculosis non sectis. 3$^{tio}$. Quod in morbo ante tres menses in Nosocomio observato, commode quidem puer, sed exigua tamen copia, urinam redderet. 4$^{to}$. Quod injectio post operationem ilico facta, copiæ licet paucissimæ, ex parvo siphunculo, & tunc, & semper, ac tutum exsiliret. Unde si puer in vivis mansisset, habuisset profecto semper id vitium, ut non diu retinuisset urinam, etiamsi externum vulnus probe claudi potuisset. Sed quoque vesica adeo & contracta, & crassa, inepta videtur fuisse ad bonam cica-

tri-

tricem formandam; unde etiam videtur perpetuo fiftulofus futurus fuiffe, fi vixiffet.

Ad reliquam Anatomen quod fpectat, erant glandulæ mefenterii numerofiffimæ, duriffimæ. Ingens Pancreas unus fcirrhus. Hepar cum multis tuberculis ficcum ac durum. Parvis fcirrhis Lien plenus. Pulmo dexter non nifi unus fcirrhus; finifter in quadam mollitudine innumeros fcirrhos geffit. Ad Trachææ dichotomiam glandulæ fcirrhofæ caftaneæ magnitudinis. Itidem Thymus. Exfangue & macilentiffimum corpus univerfum.

Ut ex Anamnefi conftitit, tuffi ac febre ante operationem non laboravit, nifi quando per paucos dies ante tres menfes ægrotaverat. Inter operationem pueri torofitatem omnes mirabamur. Ergo fpatio 60. dierum,

quibus ab operatione vixit, degeneratio hæc videtur probabiliter nata. Utique in ſano etiam corpore Febris diuturnior omnia ſolida fluidaque pervertendo, letales facit obſtructiones, ſcirrhos, &c. An veſicæ vulnus, ob calloſitatem in integrum incurabile, ab acrimonia exſtillantis urinæ alcalinæ continuo irritatum? imo an acris hæc urina ad celluloſa vulneris labia reſorpta, hanc non potuerit generare febrim? maxime primo menſe; quando magna erant labia vulneris?

## HISTORIA II.

Puer decennis in *Laxemburgo* calculi ſymptomatibus a quadriennio laboraverat. Præſtantiſſimus *Lauter* loci Medicus, quem optimæ ſpei virum immatura mors hisce diebus ſuſtulit, Uvam Urſi ipſi dedit. Negligentiſſime ea æger uſus, vix levamen inde per-

percepit. 22. Dec. 1760. D. *Cambon* ſua methodo ſecuit illum. Tria minuta effluxere a principio, usque ad forcipis inductionem. Verum calculus tum levis (pondus enim 52. gran. modo fuit) & echinatus, hirtus innumeris pinnis 2. 3. lineas longis, vix forcipe tenendus, undecim minutorum operationem fecit. Ejulavit, & vociferatus eſt hicce eo vehementius, quo minus prior. Sed & vociferabatur, jam ad inductionem Itinerarii, ut vix quatuor hominibus eſſet continendus. Primis quatuor ab operatione horis dolores acerbos conquerebatur, exinde vero ſemper ſe doloris cujuscumque expertem eſſe teſtabatur. Venter nunquam intumuit, non induruit, non doluit. Tota ejus cura fuit, ut prioris. 25. Dec. nonnihil ſanguinis vulnere, urethra, & naribus ſimul effluxit, at brevi ſiluit.

Optime jugiter habuit, optime dormivit, appetiit, egeſſit. Vulnus diu apertum manſit; licet operator a 3. Jan. 1761. ſuaſiſſet puerum, vulnere manu clauſo ad mingendum per urethram adjuvare; deinde finiente Jan. & ineunte Febr. labia vulneris lapide infernali tangi, puerumque ligatis ad ſe femoribus ſedere juſſiſſet. Febr. 6. demum clauſum fuit. Toto autem tempore quo ante & poſt clauſum vulnus minxit, urinam ſemper pallidam, ac fœtentem, ſæpe opacam, ſæpe ſimul cum glutine calculoſorum onuſtam, reddidit. Tandem gluten, & fœtor urinæ defuit, ſed copiam ejus non niſi unc. j. ſimul emiſit. Triduo Diarrhœam paſſus, uſu Rhei cum Myrobalano, & veſpertina Theriaca, convaluit. 21. Febr. perfecte ſanus ac toroſus puer domum rediit, & perfecte etiamnum valet.

HI-

## HISTORIA III.

*Ignatius Stigler* 10. ann. ex quo meminit, ſemper plus minus in mictu doluit. Septem anni nunc ſunt, quod Parentes ad auctos dolores ipſi aquam Petroſelini longe tempore bibendam dederint, quod primo aliquid, poſtmodum nihil attulit opis. Exinde in Orphanotrophio ſuſceptus, integroque inibi moratus quinquennio, delatus eſt ad Noſocomium *S. Marci*, curandus. Vim uvæ urſi fruſtra ibidem ſpatio 9. menſium expertus eſt. Tandem illum a me petitum, ad noſtrum Noſocomium optimus *Reichberger* miſit, mox ineunte hoc, quo vivimus, anno.

Secandum hunc D. *Cambon* propoſui, curam licet veritus ſive incertam, ſive inutilem. Quippe augmentum diuturni mali mortem demum illaturum; hinc methodum ejus blan-

dum poſſe inſtitui, cum ex ejusdem frequenti experientia mortis periculum non augeatur, niſi forte in rariore caſu, quemadmodum ille Hiſtoriæ primæ: cæterum inde mortem fere præſentem procraſtinari, hominumque tormenta tolli, plurimumve mitigari. Non juvantem autem operationem non methodo, ſed degeneribus oportere tribui partibus. Annuit igitur ille, & 7. Jan. 1761. illum ſpatio quatuor minutorum perfectiſſime ſecuit. Suſpicione majoris calculi culter Lithotomus ad vulnus undecim linearum adaptabatur. Verum neque hoc ſufficiens, ad 2. 3. lineas inter extractionem calculi ultra dilatatum eſt. Calculus fuit ponderis unc. 2. & 5½. dragm.

Nullus quidem tumor, aut dolor ventris, ſed febris continua mox poſt operationem adfuit; impedita valde

de-

deglutitione comitata, quæ demum die 5. critice ſoluta per Diarrhœam. Octiduo integro bene habuit. Sequuta tunc eſt febris continua remittens, veſpere ſemper ingraveſcens; quam demum Cortice oportuit moderari. Poſt 18. ab operatione diem hæc febris ceſſavit. Cum vulnus crudiſſimum maneret, continuavi uſum Corticis; ea ſpe ut, quemadmodum alibi, ita quoque hic, bonam ſuppurationem in vulnere generaret. At incaſſum. Nec tamen deſtiti a Cortice, ne urina putridiſſima, in plicis labiorum vulneris ſtagnans, atque reſorpta, febrim novam generaret, & ut contra hanc putredinem ſanguinem condirem.

Nihilominus, bene valente puero, vulnus hiavit ſemper, & fiſtulam in perinæo produxit; quæ penitus perfecta menſis dein ſpatio perfecte cu-

rata eſt. Supereſt autem ſemper parva in vulnere apertura, per quam urina perpetuo exſtillat. Scarificationes, pulveres Sarcotici, lapis infernalis, faſciis femora juncta, quæ auxilia in Hiſt. 2. juverant, hic fruſtra fuerunt; tandem vero ineunte Sept. ulcus claudi cepit, jamque Septimana ſexta, qua hæc ſcribo, clauſum manet.

## HISTORIA IV.

*Joannes Georgius Sick* 14. annorum, a Parentibus reſcit, ſe ab incunabulis minxiſſe arenas. Ipſe quoque ab 8. vel 9. retro annis meminit doloris lumborum, magnique in mejendo ardoris & doloris. Calculus detectus eſt. Jan. 12. idem Operator eum ſpatio ſeptem minutorum calculo ſecuit. Paſſim obſervavimus ad tertium, quartumve minutum forci-

pem

pem jam in vesica esse, reliquum temporis quærendo, tenendoque calculo, impendi. Calculus parvus, oblongus, asper, granulosus, ponderis granorum 50.

Vix per horam doluit, febre caruit, ventrem nec durum, nec dolentem unquam habuit. Ab ipso die operationis per urethram minxit, primo libram sanguinis, sequentibus diebus sanguinem dilutum, octavo die urinam sine ullo sanguine, cum albo sedimine, & rubra, aut flava arena, nunquam vero mucum calculosorum. Intra 14. dies vulnus clausum fuit. Febr. 7. sanus repetivit domum.

## HISTORIA V.

*Carolus Heigner* 20. annos natus, accessit me 3. Jan. 1761. narrans se ex quo meminerit, cum ardore & dolore minxisse, frequenter veras ha-

buiſſe ſtrangurias, ab intenſiore motu corporis urinas reddidiſſe rubras, cæterum pallidas, ac glutinoſas. Explorando calculum deteximus. Quamvis in morbo fere congenito vix quid a medicamentis ſperarem, animus tamen fuit, quid uva urſi præſtaret explorare. Ad irrita 14. dierum conanamina, juvenem in Noſocomium demum recepi. Jan. 19. Operator ſpatio trium minutorum integram perfecit operationem. Calculus ovalis fuit, planus, ponderis unc. 1½. dr. 1½. Hæmorrhagia magna ſucceſſit. Conus ex Agarico formatus vulneri immiſſus & affixus, opium largiter datum, hæmorrhagiam ſenſim ſic ſtiterunt, ut intra 24. horas plane ſileret, nec ad remotum poſt 48. horas apparatum rediret. Die 23. Jan. cum dolore expreſſit vulnere fragmenta duo, quæ in operatione ſoluta a calculo fue-

fuerant. Minxitque per urethram unc. 2. urinæ, gluten tenaciſſimum, fœtidiſſimumque habentis. Eodem hoc die, & ſequentibus, de moleſto admodum in inguine dolore conquæritur, quem quidem ante operationem adfuiſſe, jam vero multo validiorem eſſe, teſtatur. Parva in inguine glandula indurata adparuit. Jan. 25. plura ramenta vulnere emiſit, veluti calculi externa putamina, cum dolore, & tantilla hæmorrhagia. Poſtea pectus tuſſicula cepit quati; ſed dato decocto pectorali tuſſis ceſſit. Incepit a 29. Jan. libras 2. urinæ per urethram mittere, minus fœtidam, minus glutinoſam. Prima Febr. tumor ac dolor in inferiore ſcroti parte, a latere Sectionis, altera die magna inflammatio. Cataplaſma adhibetur. 3. Febr. Abſceſſus maturus adparet. Aperitur. Effluit

pus

pus per decem dies. 14. Febr. totum curatum eſt. Urina copioſa tunc urethra prodiit, vix gluten, niſi diu ſtetiſſet, habens. Vulnus ad 20. ab operatione diem clauſum fuit. 21. Febr. ſanus abivit, ſeque poſtea bene valentem aliquoties exhibuit.

## HISTORIA VI.

*Mathias Kolb* 57. annor. ſutor, primum adiit me 21. Jul. 1760. Stranguriofe minxerat a 2½ annis, ſubinde ſanguinem excreverat, albumque ſabuloſum, ac tenax admodum ſedimentum; quibus teneſmi atque prolapſus inteſtini adjunxerant ſe ſe. Calculum explorando non invenimus. Uva urſi malum tolerabile geſſit, uſque ad finem Octobris. Ex eo ultra non juvit. Magnum atque ſcabrum nunc deteximus calculum. Uſque ad 7. Jan. 1761. nunc cum levamine, nunc

nunc ſine eo, varia aſſumpſit: Uvam urſi in decocto, in pulvere, Emulſa, Mucagines, Opium. Tunc, conſilio cujusdam cepit uti ſemicochleare Raphani hortenſis raſi, miſti cum oleo olivarum, quotidie. Triduo hoc uſus, convenit me, ſolamen narraturus. Continuaret, ſuaſi. Binorum menſium ſpatio tolerabiliter inde ſe habens, demum in priores incidit miſerias, vires amiſit, ac facie ex pallido lividus fiebat. Idem hic vir a 22. retro annis cæcas ut vocant hæmorrhoidas paſſus, ab ultimo biennio habuit easdem fluentes, hocque jam tempore a continuis veſicæ teneſmis fere perpetuas. Concluſi ex omnibus, quod toties Auditoribus de eo monueram, ſyſtema urinoſum peſſime in illo degeneraſſe a ſtatu ſano, & demum lenta morte conſumendum videri; unicum, ſed anceps admodum,

ſu-

ſupereſſe remedium, ſectionem. Hanc methodo enarrata peractam vix quid habere periculi, imo potius dare ſpem palliandi egregiam, quemadmodum caſus docuerat. His ſub conditionibus operationem *D. Cambon* propoſui. 24. Martii calculum extraxit 4. minutorum ſpatio, Lithotomi gladiolo ad 15. gradum adaptato. Calculus, circularis, planus, gibbus ab una parte, ab altera leviter excavatus, ruber, granuloſus, pondere unc. j. & ſcrup. ij. Sub operatione hæmorrhagia, intruſo cono Agarici mox quidem ceſſavit, ſed bihorio poſt rediit copioſa. Arteriam intercipere animus erat, at vero invenire eam impoſſibile fuit. An quod nimis interna? Mictus tum urinæ, tum ſanguinis, æque per urethram, quam per vulnus, eo ac ſequenti die animadverſus, forte id innueret. Fecimus

pro-

proinde quod potuimus, & tandem intruſo, ac bene affirmato, vulneri cono Agarici, & liberaliter per epicraſim dato opio, hæmorrhagiam brevi ſtitimus, eamque penitus curatam eſſe, dum quarto die propter fætorem immanem urinæ apparatus ſolvebatur, læti vidimus. Verum quod dolebamus, jam per vulnus omnis, nulla per urethram urina fluxit. Unde quoque inflammatio, & continua excoriatio ſcroti, interfeminei, natiumque, quamcunque curam diu noctuque nos, ægrorumque adhiberent cuſtodes. Hinc naſcentibus ubique gangrænis oportuit continuo mederi. Diatheſis ad calculum in hoc homine terribilis! gluten putridiſſimum ad plicas anguloſque vulneris crudi adhærens, ſpatio nucthemeri in veros abiverat lapillos; quemadmodum etiam collectum gluten in charta

em-

emporetica in craſſam abibat ac calcaream materiem. Cum demum averruncandæ Gangrænæ ultra non eſſemus, Corticem peruvianum dedimus, malum ſuperavimus, & diu poſt curationem continuavimus, cum hoc remedium tam belle ferret, eoque cacochymiam fædam pulchre ſuperaret. Cum cortice fiebant quoque detergentes in veſicam injectiones. Labiis vulneris Digeſtivum, aut Mel roſaceum, cortice peruviano miſta, adplicabantur. Præter varia autem unguenta ad vicinarum partium Gangrænam præcavendam, plurimum profuit lotio ex aq. Samb. libr. j. & una uncia aceti Lithargyrii. Tandem poſt continuas curas & ſollicitudines noſtras vulnus minui cepit, Urina putridiſſima per urethram reddi, Maji 4. vulnus coire veſicæ, & paucis poſtea diebus vulnus integrum. Do-

mum

mum rediit 14. Maji. Sæpius poſthæc me convenit, corticem repetiturus, quod inde adeo mirifice ſe refici & roborari perciperet, ſanitatem ſat bonam teſtatus, niſi quod crebro cogeretur mingere. Stranguriam poſtea conquærenti uvam urſi dedi.

Palliatio mali ſane tam pulcra eſt, & fortunata, quam potuiſſet unquam expectari. Præcipue ſi conſideremus etiam fluentes hæmorrhoidas, Rectique prolapſum, nunc quoque non amplius obſervari.

## HISTORIA VII.

*Sebaſtianus Niedermayer*, quintum annum agens, die 28. Martii in Noſocomium illatus eſt. Narraverunt parentes hunc ſuum filium ſigna in mejendo doloris ab ipſa nativitate dediſſe, deinde, biennem illum, piſi magnitudine minxiſſe calculum; exinde

duobus circiter annis liberum fuiſſe a quocunque ſymptomate, verum jam ab anni ſpatio ſe tam miſere habere, ut urinam redderet uno tempore ſanguineam, alio tempore plane glutinoſam, ac putridiſſimam, tandemque a continuis mejendi conatibus, & teneſmis, Inteſtini Recti pateretur ab octiduo prolapſum. Examine conſtitit calculum adeſſe.

Cum optimus *Cambon* abitum meditaretur, petivi, ut liceret Chirurgis noſtris, ejusdem ſub auſpicio, calculum ſecare. Quod ille, pro eo, quo eſt, candore, mox mihi annuit. D. *Leber* hunc puerum perfecte ſecuit. Calculus quidem magnus erat, ſed pumicoſiſſimus, intra forcipem grumeſcens. Collecta fragmenta una cum corpore calculi ſeptem ſcrup. pondere æquabant.

Puer

Puer a prima hora operationis nec doluit, nec ægrotavit, optime appetivit, tota die in lecto lusit, urinam brevi per urethram misit, quæ primo glutine multo, eoque fœtente, deinde pauco, prodibat. Vulnus 20. die clausum est. Die 25. sanus suis tradebatur parentibus.

## HISTORIA VIII.

*N. Osfeld* anno 1760. Maji 26. in nostro Nosocomio feliciter calculum sectus fuerat a *D. Leber*; prout tota sectionis historia Tomo 5. a pag. 151. ad 162. data est. Abundantia muci & puris perpetua urinarum, Nephritica pueri dispositio, me coegerunt, ut 4. mensibus illi, in Nosocomio servato, Uvam Ursi darem. Tandem cum perfecte ab hisce liber Patri redderetur, adhuc monui, eo medicamento uteretur perpetuo. Hinc per

omnia ſanus vixit uſque ad Martium 1761. quando poſt neglectum medicamenti hujus denuo pati inciperet, peteretque eosdem ſibi pulveres dari. Incaſſum ſumſit. Aprilis 10. cathetere eum explorantes, nihil deteximus præ ſumma veſicæ conſtrictione: Qua altero die laxata, calculum invenimus. Aprilis 13. *D. Homburg* Chirurgus SS. MM. ſub auſpiciis *D. Cambon* ſectionem egregie fecit. Cicatrix antiqua ſponte viam monſtrabat. Iterum hic diſſiliens calculus cum collectis Grumis grana 71. pependit. Puer a fine primi diei optime ſe habuit, nullum eorum ſymptomatum paſſus, quæ in prima Sectione eum perpeſſum eſſe Tomo V. narravi. Pro more veſicam quotidie eluimus. Cumque jam ab octiduo nihil grumorum ultra exiret, & injectionis materies redeuns puram doce-

ret

ret veſicam, tentare Chirurgus voluit, an ſicco plumaceolo, emplaſtroque deſuper, clauſum, curatumque demum vulnus, nos non eximeret ab ærumnis, quas in ægro N. 2. N. 3. & maxime N. 6. ob calculoſam diatheſin antiquam obſervaveramus. Res pro votis ſucceſſit. Vulnus 13. die coaluit. Nulla ſymptomata ſuperſuere.

Notari meretur in priore ſectione vulnus ilico clauſum fuiſſe plumaceolo & emplaſtro, & demum 21. die coaluiſſe; nunc vero 5^{to} die ab impoſito emplaſtro. Interim Curatus denuo lumborum conquæritur dolorem.

Hinc quia metus erat ne brevi novus ex Rene deſcenderet calculus, dedi Uvam Urſi, ſed menſe Julio rediit ad nos, præſentis in veſica calculi quæſturus ſymptomata. Examine facto calculus in veſica deprehen-

ſus eſt 18. Auguſti. Verum ajebat puer, quod nunquam antea, ſe ab omni prorſum lumborum dolore nunc liberum eſſe. Quia nunc ſpes major integræ curæ affulgebat, die Aug. 21. purgante, & 22. enemate alvus ipſi eluta eſt, & eodem die Chirurgus noſter eum methodo eadem calculo liberavit. Trium minutorum ſpatio omnia perfeciſſet, ſed primo retardabat calculi fragmentum cochleari detectum, ſecundo alter calculus. Unde decem minuta inſumta ſunt. Via jam bis aperta proderat inventione ſua facili, oberat valde duriore cicatrice. Calculus prior rubellus dr. j. & gr. 4. pependit; alter 52. grana.

Per octo horas ab operatione doluit, poſtea autem nox tranquilla ſucceſſit. Sequente die modica febris duntaxat, & quisquam vulneris ardor adfuit, ceterum bene ſe habuit, & ap-

appetitum teſtatus eſt. A die tertia nulla amplius febris. Die 5. & 6. multa urina per urethram reddita eſt, quæ glutinis quid perpetuo habebat; tandem vero gluten fere defecit. Die 8. cum omnia in veſica nitida eſſe injectio teſtaretur, vulnus emplaſtro clauſum eſt. Die 12. id conſolidatum fuit, & puer domum potuit repetere.

## HISTORIA IX.

*Franciſcus Domijanitſch* 9. annos & 4. menſes natus, 21. Apr. 1761. allatus eſt nobis, a biennio ſtrangurioſus, poſtquam Calculum Piſi magnitudinis minxiſſet. Calculum eum nunc habere cathetere mox deprehendimus. *Cum D. Cambon* cum *Sua Regia Celſitudine* profectus in *Belgium* eſſet, *D. Leber* hunc puerum eadem methodo feliciſſime ſecuit, ſpatio 5.

minutorum; licet calculum longitudine primo arreptum, dimittere, latitudineque deinde capiendum, quærere deberet. Ponderis fuit unc. $\frac{1}{2}$. & gr. 45. Febricitavit puer parumper, ſudavitque prima die, noctem optimam habuit, ſequenti die poterat ſanus dici, veſicam Chirurgus bis die probe eluit, & quarto die plumaceolo ſicco, & emplaſtro, texit; unde factum eſt, ut octava poſt ſectionem die penitus clauſum eſſet. Pallida quidem toto eo tempore urina fuit, purulentique quidquam ſæpe habuit, nunquam vero gluten calculoſorum. Intra duas ſeptimanas potuit abire.

## HISTORIA X.

*Simon Senis* annor 4., totidemque menſium, 27. Aprilis 1761. adducitur. Biennium erat, quod cum do-

lo-

lore mingere cepisset; annus, quod tolerabiliter habuisset. Quippe anno abhinc elapso Mater eum ad ædes *D. Leber* adduxerat, qui calculum explorans, invenit illum in vesicæ sphinctere, principioque hærentem urethræ, catheteris autem apice repulit in vesicam. Matri proposuit sectionem, sed cum repulso calculo puer nulla calculi signa fere unquam haberet, risit Mater posthac Chirurgi consilium. Jam vero 27. Aprilis eum ad Nosocomium duxit, utpote quem ab octiduo antiquæ vexarent ærumnæ.

Calculo invento, 29. April. sectus est consueta methodo, ea tantum differentia, ut primo vulnere facto jam non culter occultus adhiberetur, sed prior culter integram perficeret sectionem, perinde atque in communi sectione laterali fit. Calculus granorum 35. spatio septem modo minuto-

rum exſectus eſt. Aſt plus inde, quam a cultro occulto, videtur perpeſſus. Dolor, inflatum ſcrotum, inflammatumque, febris magna, valida deinde ſcroti ſuppuratio, eum octiduo vexarunt. Eo vero elapſo cito convaluit, & vulnus tunc linteo carpto, & emplaſtro, tegi ceptum, quatriduo poſtea conſolidatum fuit. Pallida quidem ſed vix glutinoſa urina. Poſt 3. ſeptimanas abivit.

§. III. Qui attenta mente conſiderat enarratas hasce undecim ſectiones, is legendo Diſſertationem Gallicam ſupra laudatam, quæ hinc vituperat, illinc laudat, *Fratris Coſmi* methodum, haud ultra, arbitror, hæſitabit, an illam ſit laudaturus. Equidem poterat exemplorum raritas ante 10. annos lectores fluctuantes reddere; præſens vero eorundem crebritas, tum egregii *Cambon* experientia,

tum

tum frequenti noſtri Noſocomii exemplo demonſtrata, omnem hæſitantem animam firmat, & de præſtantia hujus methodi præ omnibus aliis ſecandi modis, abunde convincit. Si enim ſine præjudicio omnes conſideremus effectus aliorum methodorum, adeoque etiam *ultimæ correctæ lateralis*, eosque cum effectibus hujusce conferamus, vix ultra exiſturum quempiam credimus, qui hanc non præferat illis, qui hanc non ſemper adhibeat.

1. Enim præparatio brevis eſt. Haud inſumimus menſes ad humores immutandos, ad reparanda ſolida. Hæc namque vitia, manente cauſa, non curantur, imo temporis lapſu pejorantur; cauſa autem ablata, vel ceſſant, ſi cura integra eſt, vel ſaltem mitigantur, ſi vita brevi alioquin collapſura, nunc prolongetur. Plethora vix unquam hic venæ ſectionem

ſua-

ſuadet, raro quippe præſens: Remedium purgans, & unum, alterumve enema, totam præparationem faciunt.

2. Breve, quo fit, tempus eam commendat cum maxume. In quacunque methodo remoratur operationem calculi friabilitas; in omni methodo calculum extrahere difficile eſt, quando oblongioris figuræ ille, juxta longitudinem arripitur, quando nimia levitate vix uno loco conſiſtit, quando figura hirta ac echinea, ut in Hiſt. 2., vix ſe ſinit capi, quando major eſt, quam ut per factum vulnus educatur, quando ad fundum trianguli quem forcipes faciunt, dilabens, prehenſusque, apices forficum ita a ſe mutuo dimoveat, ut educi tanta nequeant latitudine, denique quando hæmorrhagia notabilior contigit. Sed hæc ut communia omnibus methodis, nihil contra noſtram faciunt.

Un-

Unde hisce exceptis, certum eſt hanc methodum Itinerario, Cultello, Lithotomo occulto, Conductore, & Forcipe, 3. 4. 5. minutorum ſpatio paſſim abſolvi. Quin & ipſa infortunia nonniſi duplum exegiſſe ſpatium enarratæ convicere hiſtoriæ. Certe vel ideo ſua ſe ſe brevitate hæc methodus commendat, & ad illam amplectendam cogit, quia 1$^{mo}$ vitæ, commodique, mortalium arbitri non ſumus, ſed miniſtri, & promotores, & conſervatores, adeoque conſcientia & humanitate conſtringimur, ad dolores illorum tum mitigandos, tum abbreviandos. 2$^{do}$ Quia quo & gravius & diutius hi dolent, eo graviores febres, eo tetriora ſymptomata, metuenda habemus. Ita ut ſi hæc methodus aliis modo par foret, dictas ob cauſas ceteris eſſet præferenda.

3. Nec

3. Nec in ſuis *D. Cambon*, nec nos in noſtris, unquam vel minimum ventris dolorem, duritiem, tumorem, invenimus; quod tamen adeo frequens in aliis methodis eſt, & poſt inflammationem Veſicæ, Vulneris, Integumentorum, Muſculorum, morte haud raro terminatur.

4. Febrim pauci notabilem, aut durabilem, habuere; iique modo, qui non ſimpliciter calculo, ſed degenere viſcerum fabrica laborabant. Ceterum per aliquot horas leviſſime duntaxat febricitarunt.

5. Bis in hac Methodo hæmorrhagiam habuimus; verum $1^{mo}$ nulla methodus eſt, maxime lateralis, in qua hæc non contingat aliquando. $2^{do}$ Levi negotio eandem ſtitimus: laudandus iterum hic Agaricus.

6. In his qui ſimpliciter calculo laborarunt, urina cito, copioſeque,

per

per urethram fluxit 1. 2. 3. die, vulnere quamvis aperto.

7. Methodus vulnus apertum servandi præstantissima videtur, ne quid aut calculosi, aut grumosi sanguinis, remaneat in vesica, quod novo calculo basim præstaret. Juvenis Hist. 5. sic per vices calculi veluti putamina vulnere expulit, alioqui permansura. Et vesica illius qui N° 1. sectus, ac mortuus est, tam nitida a morte reperta est, ut quamvis calculus in illa penitus diffractus fuisset, ne minimum tamen ejusdem superesset.

8. Posse nihilominus vulnus, quando per octiduum vesica quotidie probe eluta est, adeoque ita expurgata, ut heterogenei nihil superesse possit, sicco plumaceolo, & emplastro tegi; tum ut eo citius omnis per urethram urina reddatur, tum ut vulnus

ma-

maturius coëat, hominesque citius convalescant.

9. Nunquam vidimus cannula opus fuisse, qua vulneri immissa urina transiret. Effluxit quippe illa in nostris jugiter sine cannula. Equidem acris admodum urina, assiduoque his effluens gluten, metum quibusdam incutere callosorum labiorum possunt; sed an continua cannulæ frictio idem quoque non faciat? Urina acris hæmorhagiæ facit formidinem; at vero an mechanica cannulæ frictio eidem producendæ non est apta nata? Utique quod in his, quibus totus morbus calculus esset, nec callositas, neque post primum diem animadversa hæmorrhagia fuerit, modo labia vulneris melle rosaceo sæpe inungerentur, cannula in illis opus non esse judicavimus.

10. Li-

10. Ligatura mollis genuum ne divaricent, in omnibus noſtris adhibita, urinæ fluxum, ac ramentorum calculi exitum, nunquam impedivit: ut merito vanus eorum metus ſit, qui id ligatis impediri cruribus ſuſpicati ſint.

11. Non modo inſtrumentorum paucitas, temporisque brevitas, tormenta operationis abbreviant, ſed etiam eadem reddunt longe mitiora. Culter lithotomus occultus bene inductus, & ad os pubis, ut ad punctum fixum affirmatus, dum uno, eodemque momento incipit perſcindere cervicem veſicæ, veſicæ ipſius partem, proſtatam, muſculum transverſalem penis, ſeu transverſum Perinæi, pinguedinem, cutem, epidermidem, tam æquabiliter, & haud interrupte, omnia tranſcindit, ut totum vulnus duo æquabiliſſima plana habeat, & nul-

nullam fibram trahat, dilaceretve. Præſtat ſane hac ſola de cauſa omnibus aliis inſtrumentis, ut ut ſubtiliter, ingenioſeque, a magnis in arte viris, excogitatis. Præſtat experimento in hiſt. 10. inſtituto, ut ibidem patuit. Quippe effectus docent vulnus (ceteris paribus) ſufficienter ampliatum, citius curari, minus doloris in operatione, minus ſymptomatum poſt eandem creare, quam vulnera, quæ quod exiliora ſint, magnam extenſionem ac dilacerationem pati debent: id quod in *apparatu magno ac laterali* paſſim obſervatur, dum calculus utcunque major eſt. Et licet in *apparatu parvo* idque in pueris, calculus facile in Perinæo ſecatur, dum ille digitis in Inteſtino Recto impoſitis ad interfemineum adprimitur; tamen quia nonnunquam aſperior calculus (ut v. g. ille Hiſt. 2.) inæqualem ac dilaceran-

tem

tem Integumentorum ac Veſicæ ſectionem facit, unde prava ſymptomata naſci debent; quia denique blanda tutaque per ſeſe *Fratris Coſmi* Methodus, hisce exemta incommodis eſt, erit etiam in pueris præferenda *apparatui parvo* ſeu dictæ *Celſi methodo*.

12. Pag. 188. monui rariſſimi caſus Inteſtini Recti, Lithotomo occulto tranſciſſi, quo infortunio adverſarii hanc methodum criminantur. Verum id nobis in cadavere contingebat, haud elutis primo Inteſtinis, intruſoque in veſicam ſupra pubem tantæ molis ſilice, ut vulnus 15. linearum adhuc dilatandum fuerit. Quotiescunque autem ſive in vivis ſive in cadaveribus, cum iſta præcautione, hanc operationem fecimus, nunquam id contigit nobis. Ut proinde tot experimentis ſuffulti audacter pronuntiemus inanem eorum formidinem eſ-

ſe, qui inſtrumento hoc aut non uſi, aut perperam uſi, illud veluti Rectum facilè perſcindens, dum hoc proba elutione flacceſcit, criminati ſunt.

13. In moderandis in tabula ſecandorum cruribus, notabilis obſervatio, quam in cadaveribus didicimus, prodeſſe poteſt, prout pag. 190. enarrata habetur. Quod in cadavere, hoc in nobis poſſumus examinare dum lecto jacentes, femore in ventrem reflexo, varios edimus motus: experimur mox utcumque anguſtius eſſe ſpatium inter pubem & tuber iſchii, genu multum extrorſum flexo; ſpatium vero mox lateſcere utcumque, dum genu verſus umbilicum ducitur.

14. Poſitio horizontalis Calculoſorum, cum exiguo tantum ſub capite pulvinari, dum ſecantur, ſemiverticali videtur præferenda; quamvis

vis hæc, præſertim in *apparatu magno*, eligitur, & a pluribus in *ſectione laterali*, commendatur. Moles inteſtinorum *magis* in ſpinam, *minus* in peritonæi expanſionem, quæ veſicam tegit, incumbere videtur : quin & ſplenis, ventriculi, jecorisque pondus, minus in inteſtina premit. Hinc eandem poſitionem in noſtris perpetuo ſervavimus.

15. Errorem fateri debeo, in quo olim verſabar. Tom. 4. Cap. 7. pag. 236. Inteſtini Recti prolapſum, veluti unam de cauſis, ſectionem procraſtinantibus, conſiderabam, notabam: at vero jam ægrorum frequentia me convicit, etiam graves Inteſtini prolapſus teneſmis a calculo excitatis deberi, impedimento in ſectione non eſſe ; educta autem calculo brevi ceſſare, & nullo ferme auxilio curari, quo tempore ægri propter

fectionem jacent, & blande nutriti, alternoque aut tertio die enemate expurgati, fœces duras minime coacervant.

16. Nunquam approbare potuimus fcrupulofam plurimorum tum Autorum, tum Operatorum timiditatem, qua, calculo olim quidem detecto, jam vero, dum itinerarium immittitur, neutiquam percepto, operationem conficere nolunt. Si enim ab una parte frequentem illam experientiam confideremus, qua uno die invenitur, altero non invenitur, calculus; fi ab altera parte nofcamus eundem femel bene, manifeftoque, repertum, non poffe aut deliquefcere, aut aliorfum aufugere; non eft cur totam hanc lugubrem fcenam repetere velimus, ægrum minus forfitan difpofitum, ad fubeundam fectionem, poftliminio inventuri. Profecto

fe-

ſemel de eo certi, operationem non diſtulimus, etiamſi illum paulo ante non perciperemus.

Equidem, fateor, contingere nobis poſſet, ut calculus perceptus quidem olim, ſed vel poſtica parte in uretere detentus (ut caſus habet *Tom.* 3. *Cap.* 4. *pag.* 159.) vel ex ſacculo privato tantum leviter eminens, ſuaque mole majore, ſic illo in ſacco incluſus, ut extrahi inde non poſſet; qualis viri militaris calculus, de quo *Tom.* 3. *Cap.* 4. *pag.* 159. ſed quia id antea certo ſciri nequit, & quia ſi calculus in operatione percipitur, operatio ſemper inſtituitur, hinc obſervationes illæ extraordinariæ nihil hic immutare poſſunt. Frequenti exploratione didicimus eſſe calculos liberos, qui quotiescumque explorantur, eodem fere loco perpetuo detegantur; eſſe alios pariter liberos, qui

 nunc

nunc altius, nunc depreſſius locati deprehendantur. Ut poſtremi hi, ita calculi firmiter adhærentes, in expanſiore veſica remotius, in contractiore propius, detegentur, ſine ullo ſigno adhæſionem teſtante. Ergo, ut dixi, regula certa id detegendi non adeſt, & habet hic caſus extraordinarius eandem quavis in methodo difficultatem.

17. Urinam Calculoſorum pallidam eſſe paſſim obſervavimus. An id ab alcali calculi? Utique urinæ ſanæ acida foſſilia rubedinem conciliant; ſal, aut liquor, alcalinus, pallorem: Dixi *ſanæ urinæ*: nam ſi homo prius quædam medicamenta ſumſerit, poteſt color ab affuſis ad urinam rebus mire variari. Sed calculo ſectione educto, in omnibus noſtris urina pallida perpetuo fuit, etiam curato dudum vulnere. An igitur id a glutine, quod in veſica cum calculo copio-

piosum aderat, & adhuc dudum adest? Attamen is qui (Hist. 1.) a morte examinatus est, & glutinis nihil in vesica habebat, & urinam semper pallidam, fœtidamque, reddiderat. Suspicabitur forte quisquam a Renum calculis urinas nota alcalina imbui: sed ille idem, de quo nunc sermo est, cum nitida vesica nitidos, liberosque a calculo, aut pure, renes habuit.

18. Quod *Tom. V.* de Glutine Calculosorum in calcaream abeunte materiem dixi, id hoc anno constanter novis vidi experimentis confirmatum: imo ut ex Hist. 6. pag. 207. patuit, in labiis vulneris stagnans gluten, maxime circa labiorum commissuram, in lapillos calcareos abiverat. Quid autem proprie illud gluten est? In Charta Emporetica liquescit, transitque, ut concreta Calx fere sola su-

perſit. Si aëri hoc gluten exponatur in vitro, diſparet quoque omne humidum ſola calce ſuperſtite. Ergo non eſt de natura muci, quod colli inſtar indureſcit. Fors eſt aliquid, quod ex veſica ſecretum ſe unit cum ramentis terreſtribus, quæ a ſolidis abraſa noſtris, urina continentur; quodque dein calculo in ambitum adplicatum, putamina illa format, quæ toties calculis humanis, alia aliis incumbentia, circumcreta inveniuntur, quæque etiam toties in ſectione calculi ab eodem inter forcipes ſeparantur. An pulveres, qui falſo dictum Lithontripticon Stepfenianum ingrediuntur, apti quoque ſunt, qui cum humoribus, ipſa in veſica ſecretis, in laminas calcareas abeant, calculo accreſcant, putaminumque in morem ad uncias & libras excernantur, dum interea ipſe calculus perſiſtens ut erat,

edu-

educendus ſectione eſt? vide Tom. 5. Cap. 5. pag. 163. hujus exemplum.

19. Cur dantur Calculoſi, quibus vix ullum adpareat in urina gluten? Videtur hic impedita humoris de quo N° 19. in veſica ſecretio; ita ut abraſa ſolidorum ramenta partim cum calculo concreſcant, partim urinis expellantur. Si qua datur in Phyſicis adtractio, liquor veſicæ ſecretus haberet tunc fortem vim hæc ramenta attrahendi, quam calculus quoque tunc per ſe haberet: abſente illo liquore, Calculus ſolus attraheret, quantum poſſet.

An omnium Calculoſorum Gluten in calcem abit? Tom. 5. non auſus fui id aſſerere. Hoc anno innumera experimenta mihi conſtanter hoc phænomenon dedere; uno alterove excepto, ubi parum admodum ejus adfuit. Hinc hucusque reſpondeo, in

mul-

multiplicibus meis experimentis omnium calculoſorum mucum plus minus calcis exhibuiſſe; id tamen contingere poſſe, ut quis multorum experimentorum occaſione gaudens, incideret in nonnullos calculoſos, quibus hoc phænomenon forte deeſſet. Experimenta mea multiplicia obſervationis frequentiam docent; contrariam forte aliorum obſervationem non explodunt.

20. Quam eſt obſervationum fertilis hiſtoria calculi? Cernimus ex omnibus antedictis majores calculos nonnunquam ſibi viam per urethram pandere, hominemque ad tempus notabile exemptum vivere dolore; minores e contrario in hanc viam nunquam impelli, & perpetuo cruciare. Advertimus exiles admodum calculos tam vehementes, diuturnosque creare dolores, teneſmos, Recti prolapſus,

pſus, mucum calcareum, urinam & putridiſſimam & pallidiſſimam, ſummamque vitæ intolerabilitatem, quam unquam producere queunt calculi majores.

21. Si calculus, ut in *Hiſt.* 10. ex collo veſicæ intra eandem repulſus, anno integro ita latuit, ut vix ulla ſui ſigna dederit; ſi idem anno illo elapſo, tormenta calculi reſuſcitet, jam non iterum in collum pulſus, ſed manens in veſica; nonne veriſimilitudo creſcit problematis, quod *Tom. V.* ſub ipſum capitis 5. finem, pag. 184. & 185. propoſui?

22. Dictus *Osfeld* Hiſt. 8. intra ſeptemdecim menſes ter calculo a nobis ſectus eſt, & ultima vice gemino calculo. Abſentia doloris ad lumbos, qui olim illi familiaris, integram forſitan ſalutem promittit; fors fallax hæc ſpes, novos calculos dabit. Eo

in

in caſu hiſtoriam renovare poterit Mercatoris, qui narrante *Volkammero* M. N. C. Dec. 2. Obſer. 177. jam quater a peritiſſimo Lithotomo ſectus, ſingulo anno novum calculum ſecandum afferret. Porro hoc incommodum eſt cuique Methodo commune. Nos ſaltem certi ſumus, enarrato hoc noſtro agendi modo, nihil in veſica reſtitare poſſe calculoſi; adeoque ſi novus iterum adſit, eum vel novam plane creaturam eſſe, vel ex renibus fuiſſe delapſum. Hinc non mirarer, quod decies & ultra idem homo indigeret ſectione. Simile quid ſubolfaciens *Aretæus* Lib. 2. Cur. Chron. Cap. 3. „ Calculorum, inquit, pro-
„ creationem e fœcunda ſterilem red-
„ dere nemo poteſt: *ῥηΐτερον μεν γαρ*
„ *μητρην ἄτοκον θεμεναι, ἢ νεφρȣς λι-*
„ *θιῶντας ἀλίθȣς.* Facilius eſt enim
„ uterum ſterilem efficere, quam cal-

„ cu-

„ culiferos renes ita diſponere, ut „ eosdem haud generent ultra. „ Igitur ter quaterque beatum genus humanum, quod nunc, quotiescumque opus fuerit, adeo facile eo hoſte queat liberari!

# CAPUT VI.

## DE CRANII USTIONE IN PERTINACIORIBUS CAPITIS VITIIS.

§. I. *Diverſus quidem modus admovendi ferri candentis, tam veterum, quam poſteriorum; univerſorum tamen calculo expers periculo creditus.* §. II. *Experimentum primum hujus infeliciſſime in Noſocomio inſtitutum. Mors inopina inde. Reſpirationis modus juxta communes humani corporis leges vix explicandus. Exemplum inflammati & gangrænoſi majorem partem ventriculi, ſine febre, ſine dolore, & cum bono appetitu. Examen Anatomicum nullas in Cranio, Oculisve, Amauroſeos cauſas detexit.* §. III. *Alter*

*ter infaustissimus Cauterii Cranii effectus. Historia morbi antecedentis datur, ideo notabilis, quod plurima, & exquisita remedia, ordine adhibita, effectu plane caruerint. Conamina nostra, ad imminens a Cauterio discrimen Trepano averruncandum, enarrantur, & inutilia demonstrantur. Hydrops Ventriculi superioris cerebri. Portentosum infundibulum, ejusque mira ægritudo, ut causa inventa Guttæ serenæ. Respirandi modus, æque parum, quam in priore Historia intelligendus.* §. IV. *Experimenta multa, in Craniis facta, enarrantur, quæ hanc operationem nunquam, nisi cum summo vitæ discrimine, institui posse evidenter arguant.* §. V. *Ex omnibus hisce Ratiocinium medicum, & seria formatur conclusio.* §. VI. *Quædam de Trepano in Epilepsia, Cephalæa, &c. admovendo.*

§. I. AB ipso *Hippocrate*, in hodiernum usque diem, Cauterii actualis in arte dicti applicatio ad Cranium, ita omnium ore laudatur, ut nesciam ullum esse Artis auxilium, quod plurimorum suffragiis fulciatur. Si enim *Zecchium*, & qui *Zecchii* autoritate permotus fuit,

*Sen-*

*Sennertum*, pauciſſimosque forte alios exceperitis, uno omnes ore hanc operationem commendant.

Haud idem tamen cunctis inurendi modus. Quantum ex *Hippocratis* Textibus concludere licet, Libr. 2. de morbis, & libr. de locis in hom. Ferrum quidem candens capitis pluribus, imo octo diverſis locis, ſed ad integumenta duntaxat, admovit: nihilominus vim uſtionis ad oſſa penetraſſe credibile fit, quia quam uſtionem juxta naſum, in cantho oculi interno, ita fieri jubet, ut cruſta ibidem inuratur, ea ſane ſine oſſis uſtione vix peragi poſſe videtur. Quin & ubi ſic loca circa aures inuri præcipit, ut deſinant a pulſando Arteriæ, profunde ſatis videtur uſſiſſe.

*Aretæus Cappadox* non explicat libr. 1. de cura Chron. Cap. 4. *de Epilepſ.* quo velit uri modo, paucis tantum

„ opus eſt, ait, etiam ignem capi-
„ ti inferre; proficit enim.

*Cælius Aurelianus* Libr. 1. Chron. Cap. 4. refert, „ *Temiſonem* conſu-
„ luiſſe cutis capitis uſturam, qua
„ teſta ſquammulis deſpumatur.

*Celſus* Libr. 7. Cap. 7. §. 15. in oculorum pituita: „ Quidam atra-
„ mento duas lineas duxerunt a me-
„ dia aure, ad mediam alteram au-
„ rem, deinde a naribus ad verti-
„ cem; tum ubi lineæ committeban-
„ tur, ſcalpello inciderunt, & poſt
„ ſanguinem effuſum os ibidem aduſ-
„ ſerunt. Nihilominus autem & in
„ temporibus, & inter frontem, at-
„ que verticem, eminentibus venis
„ idem ferrum candens admoverunt.
„ Frequens curatio eſt venas in tem-
„ poribus adurere . . . . valentior
„ tamen Medicina eſt . . . . venas
„ incidere, & ſanguinem mittere:
„ ubi

„ ubi ſatis fluxit, tenuibus ferramen-
„ tis adurere. Contra tempora qui-
„ dem timide, ne ſubjecti muſculi,
„ qui maxillas tenent, ſentiant: in-
„ ter frontem vero & verticem ve-
„ hementer ſic, ut ſquama ab oſſe
„ recedat. Efficaciter tamen etiam-
„ num eſt Afrorum curatio, qui ver-
„ ticem usque ad os adurunt ſic, ut
„ ſquamam remittat.

Traditionem omnium ſæculorum de hujus curæ præſtantia collegit nobis *M. A. Severinus*, in ſuis libris *de efficaci Medicina*, Pyrotechn. Chir. Lib. 2. pag. 1. teſtimoniis *Pauli æginetæ*, *Aëtii*, *Actuarii*, *Meſues*, *Rhaſes*, *Albucaſis*, *Arnoldi Villanovani*, *Andreæ Cæſalpini*, *Petri Salii*, *Paræi*, *Gualtheri Bruelis*, *Theodorici*, *Fumanelli*, *Rondeletii*, *L. Mercati*, *Lanfranci*, *Jacobi Sylvii*, *Nicolai Piſonis*, *Gariopon-ti*, *Bertrucii Bononienſis*, *Cæſaris Ma-*

*chæ*, *Joannis Heurnii*, *Epiphanii Fernandez, Fontani*, *J. B. Theodosii.* Ipsusque ille *Severinus* maximus extitit hujus curæ promotor.

Si ordine laudatos omnes hos Scriptores evolvimus, patet nonnullos quidem prope suturas, plerosque vero in ipsis suturis, & maxime in commissura Sagittalis cum Coronali, candens ferrum imposuisse; plures insuper monuisse, ut ustio deberet ad ipsam penetrare diploën; omnes autem curas admirandas plane & stupendas inde a se se perpetratas gloriari. Ex multis pauca attulisse sufficiat. „ Quod meo quidem experi-
„ mento, inquit *Severinus*, confir-
„ mare possum. Suturæ sagittalis, co-
„ ronalisque confinio perusto, *Fran-*
„ *ciscus ab Angelo*, *Castrinovensis*, ab
„ ingenti cephalæa liberatus est.

Et

Et *Epiphanius* : „ Mirum eſt, ait,
„ quam his Cauteriis refrigeretur ce-
„ rebrum, & pravi, tetrique vapo-
„ res diſſipentur : & licet primis die-
„ bus ſoleant concitare aliquem gra-
„ dum caloris, tamen majus eſt emo-
„ lumentum, quod poſtmodum inde
„ ſequitur, quam puſillum aliquod
„ damnum, ex impreſſo igne. Nos
„ quoque quinque, quandoque ſe-
„ ptem Cauteria, amentibus admo-
„ vemus, qui fuere curati, maxime
„ ubi non viget capitis tanta calidi-
„ tas; ob quam quidem in hac mu-
„ liere (cujus hiſtoriam dederat) tan-
„ tum unum fieri curavimus. Eſt
„ & e noviſſimis *Cæſar Macha*, Prin-
„ cipum ſubalpinorum Medicus, qui
„ conſil. 140. feminam inde reſtitu-
„ tam teſtatur, ſeptem jam menſes
„ inſanientem.

Idem *Fernandez* Hist. Medicinal. 47.
„ Testor Deum Cauteriis in capite
„ quandoque tribus, quandoque qua-
„ tuor & quinque factis, ad loca su-
„ turarum, curasse annis elapsis so-
„ crum *Magistri Gentilis*, cui jam erat
„ memoria abolita, & duos alios sto-
„ lidos & insanientes juvenes.

*J. Heurnius*, primus Med. Pract. Professor, in condita anno 1575. Universitate Lugduno-Batava, ait Chirurgum Ultrajectinum a se curatum Cauterio ab immedicabili cephalæa, in determinata capitis plaga sæviente. Et in *Aphor.* 2. *Sect.* 7. „ Vir, cui
„ erat caput totum tuberosum, Cau-
„ terio id ad os usque aperuimus;
„ quod exesum erat fere usque ad
„ Diploën, abrasimus sensim, iterum-
„ que aliam partem aperiebamus ad
„ os, ita sensim totum fere caput
„ abrasimus. Evasit.

*Pla-*

*Platerus* Libr. 1. pag. 61. „ Quo
„ pacto modo natis *Florentiæ*, ut fer-
„ tur, verticem perurentes, Epile-
„ psiam, quæ iis in locis infantibus
„ consueta est, solent avertere. Qui-
„ bus de causis, & experientia moti,
„ ferro candenti ustionem moliri . . . .
„ non inconsultum esse putamus. „
Scilicet ut ante monuerat, „ si per-
„ tinacis mali causa in capite la-
„ teat.

*Hier. Fabr. ab Aquapendente* pro inurendo Fonticulo in sutura Coronali, peculiare Cauterium excogitavit; quod apud ipsum, & apud *Scultetum*, qui hanc methodum quoque laudat, videas.

*Hollerius* in scholio ad suum primum caput *de morb. intern.* „ Ap-
„ plicatur, inquit, Cauterium actua-
„ le in media parte capitis prope su-
„ turas. „ *Duretus* in sua in hunc

*Hollerii* textum enarratione, etiam candens ferrum commendat.

*Fallopius* de Cauteriis, pag. 340. ipsis quidem in suturis non suadet, „ cæterum, ait, capiti Cauterium „ tute imponere possumus.

*Riverius* Cap. de Mania pag. 227. „ Denique Cauterium suturæ coronali adplicatum maxime probatur a „ *Gordonio*, ejusque utilitatem confirmat Historia cujusdam Maniaci, „ cui cum esset vulnus inflictum capiti, cum cranii fractura, quamdiu vulnus apertum, tam diu bene habuit; vulnere curato, reversa est Mania. „ Et Cap. de dol. cap. „ pag. 236. „ Cauterium suturæ coronali admotum, dolorem capitis „ contumacem aliquando radicitus „ abstulit. Multo majoris est efficaciæ, si temporibus admoveatur, „ de qua vide *Poterium* Obs. cent. 3.

„ Cap.

„ Cap. 8. & Obſervationes noſtras
„ publico communicatas. „ Porro in Obſ. cent. 2. N. 93. idem *Rive-*
„ *rius.* Ad puerum epilepticum vo-
„ catus, præſcribo apozema ex Ce-
„ phalicis, & Epilepſiæ ſpecificis, cum
„ purgantibus ad quatuor doſes. De-
„ inde inuritur Cauſticum ſuturæ co-
„ ronali. Et his duobus remediis a
„ morbo liberatus eſt.

*Lambswerde* in Tom. 2. *Sculteti* Obſ. 9. Cephalæam veneream curat cauterio actuali in ſutura Coronali. & Obſ. 11. Epilepticam puellam curavit cute primum transverſim ſecta, actuali cauterio ſuturarum coronalis & ſagittalis concurſum, *ſatis profunde* inurendo.

*Nuckius* Operat. & exp. chir. N. 1.
„ Facili, inquit, negotio operatio
„ hæc ſequenti inſtituitur modo: in-
„ uratur loco modo notato (per fi-

„ la in medio capite ſe decuſſantia,
„ (ut ante ex *Celſo* vidimus) profun-
„ dum ſatis foramen cauterio quo-
„ dam actuali.

*Fred. Deckers*, Exercit. pract. pag. 109. Puellæ cæcæ hiſtoriam refert, cui Chirurgus fonticulum in ſutura coronali & ſagittali inuſſit, ad primam calvariæ laminam uſque urendo, quod cum inſtabile daret levamen, alius Chirurgus inuſſit ad diploen uſque, unde magna, rotunda portio ſeparata fuit; ſeparatam hanc portionem figura exhibet autor, habentem diametrum decem linearum: imo cum auxilium eſſet inconſtans, tertium cauterium ſuſtinuit, & tunc recte vidit. Etiam Guttam ſerenam, & Epilepſiam, ſic curatas ſe vidiſſe affirmat.

Clariſſ. *Viennenſis* Profeſſor P. *de Sorbait*, prax. pag. 286. Cap. de Catara-

racta & Amaur. „ Setaceum quoque „ multis fuit auxilio : loco cujus in „ Delicatulis ( videtur tamen operatio longe crudelior setaceo ) sub- „ rogari potest. Cauterium, quod „ non tantum Nuchæ, sed etiam su- „ turæ Coronali impositum plurimos „ juvit. „ Et pag. 598. 599. Cau- „ teria adplicanda sunt . . . in ca- „ pite supra suturam coronalem, lon- „ gitudine digiti extensi supra nasum, „ contra Phthisim. Cauterium au- „ tem quo magis est candens, eo mi- „ norem affert dolorem.

Cl. *Hoffmannus*, Tom. 4. Part. 4. med. Syst. Rat. pag. 118. Edit. in 4. de Amaurosi : „ Magnum profecto præ- „ sidium est in cauterio actuali, syn- „ cipiti vel nuchæ inusto.

*M. G. Purmann*, famosus multos per annos apud *Breslavienses* Chirurgus primarius, in *curiosis observationibus*

*bus* Invictiss. Imp. *Josepho* dicatis, historiam puellæ *Breslaviensis* refert, quam invincibili cæterum Epilepsia curavit cauterio actuali, in confinio toties dictarum suturarum; quorum commissuram statuit contra omnes qui id negent, constanter reperiri in puncto, quo fila, *Celsi* modo ducta, decussant se se. Videturque sæpius eandem operationem peregisse, cum asserat ustionem eo in puncto se semper fecisse. Et in scholio suo. „ Der
„ Wund-Artz hat auch keine Ge-
„ fahr zu scheuen, und der Patient
„ stehet dis gern, und noch ein
„ mehreres aus. Und wer wolte
„ dis nicht auch gerne thun, um
„ der grossen, und der bösen Krank-
„ heit wegen, und um der grossen
„ Hofnung, daß man solche mise-
„ rable Plage verliehret? wäre
„ auch zu wünschen, daß dieses
„ edle

„ edle Hilfs-Mittel mehr in uſu
„ wäre, als es jetzo iſt, und die-
„ ſe Krankheit leider! in unſeren
„ Hoſpitalern ſo einreiſt, daß es zu
„ erbarmen.

Quadraginta igitur & ultra Autores tum Medici, tum Chirurgi, eosque inter plurimi ſua in arte celebres, & famoſi, hanc operationem & ſuaſerunt, & exemplis utiliſſimam demonſtrarunt, nullius unquam infortunii meminerunt; quidam audacter omnis dixerunt periculi expertem: operationem porro laudavere ſic, ut vel integumenta ſimul cum oſſe adurerentur, vel integumentis, ac pericranio primum perſciſſis, ſeparatisque, os ſolum adureretur, idque aut prope ſuturas, quod quibusdam placuit, aut in ipſo ſuturarum contactu, quod plerisque viſum: hancque ſic in-

inſtitutam operationem plane innocuam eſſe plurimi aſſeverarunt.

Proinde cum nullum exiſteret ſive Medicinæ, ſive Chirurgiæ caput, quod gravioribus autoritatibus ac teſtimoniis fulciretur, piaculum fore credidi in difficilioribus ac incurabilibus caſibus idem omittere. Tres porro morbi videbantur mihi præcipue hanc curam poſcere, Cephalæa pertinax cum Hemicrania, inemendabilis Epilepſia, Gutta ſerena. Erantque nobis tales ægri præſentes, in quibus curam horum morborum hac lege exerceremus. Sed præcipue nos miſerebat duorum, quos Gutta ſerena ad Mercurium, ad Corticem, ad Machinam electrinam, ad cujuscunque generis Evacuantia, ad varia Capitis Epithemata, ad Veſicantia, ad Setacea &c. omnino rebellis & pertinax, miſere affligebat.

§. II.

§. II. Igitur 3. Junii proxime elapſi, operationem fecimus in Adoleſcente 12. annorum, ruſtico, robuſto, toto quadrato, quem Amauroſis affligebat, probabiliter nata ex contuſo capite, poſtquam ſex menſium ſpatio in periodicos vomitus, quos cephalæa ſemper pronunciabat, inciderat. Amauroſis porro ejusmodi erat, ut noctem inter diemque nihil diſtingueret, ſummam tamen, agilemque pupillæ utriusque conſtrictionem, & dilatationem ad majus, minusve lumen haberet. Unde contra Eruditiſſimi *Halleri* opinionem ſenſilitas pupillæ demonſtrari videtur; Retinam enim plane inertem fuiſſe, perfectiſſima cæcitas evicit.

Quia & ſine Integumentorum inciſione, & cum eadem, hæc operatio fit, ultimum modum prætulit D. *Leber*; cum eandem didiciſſet, fortu-

tunatoque adplicatam a ſuo Magiſtro, dexterrimo, dum viveret, Chirurgo *Laudes*, vidiſſet; qui idem Magiſter Diſcipulos, adſtantesque Chirurgos, ſerio hortatus erat hanc ſimplici uſtioni ſemper præferrent, metu convulſionum, quas uſtio ſine ſectione generare ſtatuebat.

Integumentorum hæc ſeparatio, validum dolorem excitabat; leviorem, pericranii abraſio; maximum vero, uſtio; quam valide urentem ajebat, licet nihil eorum, quæ circum ſe gerebantur, ſciret. Exanimabam, an vagina, intra quam Cauterium, ne labiis perſciſſis noceat, capiti imponitur, a Cauterio candeſceret, & uſtionis dolor potius ab integumentis uſtis, quam a peruſto cranio gigneretur; verum vaginam illam ego, adſtantesque tangentes, vix calentem deprehendimus.

Do-

Dolor primis horis magnus, postea modicus, bonus appetitus, semel modo levis vomitus, qui cæterum ipsi consuetus, observabatur. Utebatur jure carnium, aqua hordei mellita, & emulso leviter paregorico. Altero die optime habuit. Die tertio, fumo aromatico prunis ardentibus injecto, ac capiti admoto, apparatum examinavimus, lintea carpta sanguine imbuta amovimus, inspersoque vulneri pulvere Mastiches, labia suis singula locis adposuimus. Bona hæc, sed contracta ita, ut inustum ossi locum exacte liberum & nudum servarent. Tenaci Emplastro ea ad se mutuo jungebamus; omnia deligaba mus sicce, ac raro deligandum locum postmodum esse, *Cæsaris Magati* consilio decernebamus. Nox optima, alvus ab Enemate bona. Die 6. Junii, scilicet ab operatione quarto, pulsus sanus,

nus, naturalis, bonus appetitus, nullus capitis, nisi ab ejusdem motitatione, dolor. Hora octava vespertina cum illo locutus sum, affirmantemque palam audivi, se nullibi in toto corpore, imo ne in capite quidem, dolere, suumque jus eadem vespera egregie sibi sapuisse. Tandem bonam illi noctem apprecatus, pulsum adhuc tetigi scrupulose, eumque tam bonum inveni, quam unquam sanus homo habere potest. Idem testati mihi sunt Medicinæ & Chirurgiæ Assistentes, qui post me pulsum examinarunt. Interim visus emendationem observare se nullam æger conquærebatur. Solabamur illum ea spe, quam optimæ operationis tolerantia merito dabat. Sed, o spem fallacem! mox a media nocte vomere cepit; quod quia ipsi familiare, custos neglexit primo, verum ronchum in re-

spi-

ſpiratione advertens, Aſſiſtentes Noſocomii vocavit. Qui morientem viderunt hora ſecunda prope finem diei quarti.

Quod me, nosque omnes, nec opinatus caſus perculerit, & attonitos reddiderit, nemo dubitabit. Nec reticebo me ſuſpicantem, ne forte vomitus violentia in ſyncopen lapſus eſſet, curaviſſe, ut pectus ipſi valide agitaretur, & bis injecto Enemate Fumi Tabaci inteſtina irritarentur. Sed mortuus erat hac vice non reſurrecturus.

Cadaver examinantes, nihil mali externo in cranio deteximus. Labia quippe vulneris bona, ſuppurantia, ſe jam cum pericranio unire ceperant in loco ab inuſtione remotiore. Olla cranii ablata, videbamus cranium adeo leviter igne tactum fuiſſe, ut facta uſti abraſione, vix

quid de offea periiffe videretur fubftantia.

Igitur uftio non erat aut profunda, aut etiam ad usque diploën producta, quemadmodum Autores jubent, fed vix tangens, adeoque infufficiens. Attamen quis credat! Dura mater inuftæ plagæ fubjecta, jam ab externa fui parte, qua os tangit, fuppurari leviter inceperat; Arachnoidæa videbatur ibidem loci cum pia matre corrugata: cerebrum autem integerrimum. Cæterum per univerfum cranium ambæ Meninges admodum inflammatæ.

Igitur, quod hic præprimis notandum, uftio vix leviter externum cranium tetigerat, & nihilominus effectum in omnibus ediderat cerebri membranis. Et quidni? Cranium internum ipfum ad diftantiam duarum linearum a loco ufto leviter fiffum

ſum fuit. Tantane vis ignis, effectusque leviore tactu? Quid ſi ad diploën penetraſſet? Præſtitit ſane nos in urendo meticuloſiores fuiſſe, cum hocce cranium, craſſi licet ruſtici, adeo tenue & tranſparens eſſet, ut vix mediam ſolitæ craſſitudinis partem haberet.

Præter hæc nullum in cranio vitium, ne in opticis quidem nervis, cui Guttæ ſerenæ adſcriberemus cauſam.

Dum vomitus a ſemianno periodicus fuerat, operæ pretium erat cauſas indagare. Ventriculus ore ſuperiore ſuo, initioque Oeſophagi, ſolito multo amplior, ita ſanguine omnibus ſuis in vaſis turgens, ut hæc in nonnullis locis duarum, in aliis trium linearum diametrum haberent; purpureus cæterum toto fundo ſuo, binisque in plagis tam interne, quam

externe, gangranoſus; circa Pylorum bonus.

Univerſi Pulmones lateribus undique, Mediaſtino, Diaphragmati, Pericardio, Spinæ dorſi lateri, Jugulo, quolibet in puncto adeo indiſſolubiliter accreti erant, ut ſine alterutrius deſtructione impoſſibile eſſet eosdem ſolvere; utque ubique, potiſſimum vero in toto dextro latere, lacerati pulmonis reliquiæ thoracem inveſtirent. Quemadmodum porro Pulmones cum vicinis partibus, ita quoque mutuis inter ſe ſe lobis coaleſcebant.

Quod autem maxime mirabile, Adoleſcens nunquam in noſtro Noſocomio difficilem aut læſam Reſpirationem oſtendit, neque hujus quidpiam Matris habuit Anamneſis. Unice affirmare poſſumus ſesquihora modo ante mortem Reſpirationis, pulſusque, vitia adparuiſſe.

Nec

Nec minus mirabilis Ventriculi & obſtructi; & perquam inflammati, & gangrænoſi, contemplatio, ubi ad mortem fere usque nec ſigna febris, aut gangrænæ in pulſu, nec ſigna doloris in hoc viſcere, nec ſigna alicujus in ejusdem functione defectus, apparuerunt. Igitur obſtructio adeo notabilis, inflammatio adeo ſæva, gangræna adeo vehemens, ut penetret totam ventriculi ſubſtantiam, citra dolorem, citraque febrem, contingunt? bono cum appetitu formantur? cum integra viſceris perficiuntur functione? Neque enim fore crediderim, qui ſtatuat, omnia hæc ſesqui horæ ſpatio nata & perfecta fuiſſe. Nunquid etiam illæſam ſemper Reſpirationem facile intelligimus cum univerſali adeo, cum indiſſolubili concretione Pulmonum? Cordisque expediti motum perennem, cujus peri-

cardium dictis de causis immobile fuisse videatur? Merito videor hunc casum ad *Cap. 4. de Problematibus* referre, adeoque ut *Problema 11.* ad pag. 170. adjungere.

Sed ut e bivio in viam; futuros prævideo, qui ex integra hac historia concludant, levem hanc ustionem causam mortis neutiquam extitisse, sed in corpore adeo vitioso mortem aliunde duxisse originem. Hos obsecro velint sequentem perpendere casum.

§. III. Die 4. Junii Cauterium eodem modo juvenculæ 20. annorum admovimus, altera scilicet die ab eodem adplicito Adolescenti. Hæc Gutta serena laboraverat à fine anni 1759. post vomitum spontaneum 14. dierum, postque trimestrem defectum catameniorum. Datis purgantibus, vomitus cessaverat, redierant

men-

menſes, viſusque. Toto anno optime valuit. Süb finem anni 1760. menſes deficiunt, vomitus redit, perit viſus. Eo in ſtatu noſtrum Noſocomium infertur. Video Amauroſin, quæ cum immobili utraque pupilla, inter diem noctemque, imo poſthac de die album inter nigrumque, diſtingueret: contra quam in Adoleſcente, cui cum mobiliſſimis a luce pupillis perfectiſſima cæcitas fuerit. Cum anno elapſo purgantibus ſanitatem & viſionem recuperaſſet, eadem ipſi, ſed jam incaſſum, præſcripſi. Cumque demum purgantibus opio interpoſito vomitum ſuperaſſem, menſes & viſus deficere pergebant. Amauroſis jam bis vomitum diuturnum, eumque violentum; vomitus jam bis retardatos inſequebatur menſes: unde in menſium defectum, ſi non omnis, ſaltem aliqua

caufa vomitus videretur refundenda. Quare poftquam appetitus bonus cef-fante vomitu rediiffet, methodica ad menfes revocandos cura exactiffime; eaque non juvante, quævis empyrica, prudenter adhibita fuit. Cum demum nihil juvaret, nifi quod femel iterumque leve quoddam initium menfium videretur confpici, tandem quod *Tract. de Hæmorrhoidibus* pag. 73. ex *Anglicis Obferv.* laudavi auxi-lium, Machinæ tortilis ad arterias crurales admotæ, poft Aloëticum pur-gans, Balneaque Vaporis; hoc, in-quam auxilium ad tres varias usque vices adhibui, circa id tempus, quo menfes, ni turbatus naturæ ordo fuif-fet, redire debuiffent. Sed & hoc fruftra fuit. Diu demum poft men-fes rediere, fed irregulariter femper; vomitus non nifi raro rediit, paffim adhuc bonus Appetitus, bona digeftio,

ege-

egeſtio commoda, virium, toroſitatisque incrementum. Aſt vero omnia hæc cum perſeverante Amauroſi, & continuo repetentibus capitis, atque oculorum, doloribus.

Videbatur ex hisce concludi oportere, quod viſus olim rediiſſet ad Catameniorum reſtitutionem, quia necdum quid notabiliter aut læſi, aut impacti, obſtructique, in Encephalo erat; jam vero ex vomituum tum repetitione, tum diuturnitate, vitium topicum in cranio foret, propter quod Gutta ſerena ad reſtitutos menſes perennaſſet: quodque proinde occaſio opportuna adeſſet ejus curam Cauterio tentandi, id quod tutum, quod ſecurum, quod nunquam noxium, ſæpe vero efficaciſſimum, hucusque credideramus.

Altera ergo die, ut monui, qua in puero, operationem eodem modo

in

in hac puella fecimus. Symptomata dolorum ad varias operationis partes, confuſe primo; ſedatis vero doloribus, eodem ſe percepiſſe modo, quo Adoleſcens narraverat, declaravit. Appetitu gaudentem eodem, quo puerum, modo ſuſtentavimus. Prima nocte vix dormivit, & dolorem in utroque cervicis latere conqueſta eſt; altera die melius: tertia die bene ſe habuit, excepta febricula; quarta die pejus. Sanguinem tunc miſimus, qui peſſime phlogiſticus. Jamque vox deficere incepit, & caput hebes fieri.

Igitur inopina morte pueri perculſi, mortem puellæ triſtes quoque prævidimus. De *Trepano* interea cogitatum. Ne vero illud fruſtra periclitaremur, plura crania primum cauterio inuſſimus, trepanumque adhibuimus; & primo quidem ipſo uſtionis loco. Sed mox ſtylus Trepani in

adu-

adusto fundo vacillabat, deinde plus adhuc stylus Trepani maris; ita ut vestigium sufficiens haud potuerit imprimi, quo Trepanum femina dictum tuto ageret. Quapropter idem eo tentavimus loco, qui ad ustionem proximus, ut circulus Trepani eam una tangeret, eoque modo ad affectum in Cranio locum quoque deveniremus. Etenim tam proxime ad ustam plagam Trepanum adhibendum esse suadebat hac ipsa hora facta pueri Anatome, quæ ambas meningas ibidem affectas ostendebat. Verum & hoc impossibile. Dum enim in pertenui Cranio (quod ad tutius experimentum eligebamus) corona Trepani partem Cranii non ustam vix tetigerat, profundius jam adustam partem penetrabat; & bis, ter adhuc, licet prudentissime, suspensissimeque, modiolum agitando, ossis festucæ, ab ustione fragiliores,

in

in cerebri membranas infigebantur, interea dum diu adhuc perterebranda ea esset portio ossis, quæ adusta non fuerat, ut totum frustulum eximi posset: unde conclusimus evidens mortis periculum periculosissima & incertissima operatione averti non oportere. Medio die quinto periit, cum leviore faciei convulsione.

In externo cranio omnia ut in bono vulnere. Ossa cranii resecta ustionem non modo multum non penetrasse, sed crassum hoc cranium vix attigisse patebat; parte enim adusta, abrasa, vix de ossis substantia quidquam ablatum apparebat. Nihilominus sub hoc crasso, vixque ab igne tacto cranio, dura mater suppurata inventa est, ac totum sinistrum cerebri hemisphærium, in quo (ut mox patebit) ustio erat, magna copia puris inter utramque meninga scatebat. Et, ut

in

in priore, in utroque cerebri latere utraque Meninx vehementer inflammata erat. Aër autem copiosus; ubique se movens, separatim a sanguine in harum membranarum vasis sanguineis, potissimum in hemisphærio sinistro, miro sane spectaculo, inventus est. Ventriculus superior in sinistro latere Hydropicus tria plena cochlearia lymphæ gessit, dexter solitam copiam. Cerebrum pone locum ustionis flavum, & solito mollius, ac fere liquidum.

Notabile autem maxime Infundibulum. 1$^{mo}$ Maximum fuit, octo vel novem linearum diametrum habens. 2$^{do}$ Repletum fuit materia grisea, quæ partim pultacea, partim calcaria fuit. 3$^{tio}$ Concretum erat cum pia matre Opticos involvente. 4$^{to}$ Insidebat, premebatque ipsum Opticorum coalitum; non quidem

ita

ita, ut Optici nervi post coalitum marcescerent, sed saltem sic, ut videretur illorum actio interturbata fuisse, puellaque cæca fuisse mansura, etiam si male haud successisset operatio.

Pulmones, ut in puero præcedente, ubique, ne minima quidem plaga excepta, indissolubiliter cum omnibus in Thorace partibus, mutuisque inter se lobis, connati erant. Oesophagus, & Orificium superioris ventriculi, duplo, quam solent, ampliores; Pylorus tam arctus, ut calamum scriptorium haud admitteret, in crastinam autem demonstrationem reservatus, hac constrictione, an spasmo evanido? caruit. Ex præcedentibus quippe patuit spasmos a morte non raro superesse.

§. IV. Hic ita enarratis, seria & tranquilla mente examen doctrinæ de

adu-

adurendo cranio instituendum est. Collato lugubri utroque hoc casu, cum allata 40. & ultra Doctorum doctrina, dico 1$^{mo}$ minime verum esse, quod operatio hæc quovis periculo vacet. Et periculosissimam esse, & utrisque nostris letalem fuisse, Historia utraque palam facit.

2$^{do}$ Cauterium in nostris levissime modo crania tetigit, letum induxit: quid non sequatur, necesse est, si uratur profundius?

3$^{tio}$ Si cauterium jussu Autorum, tam profunde adactum fuisset, ut probabiliter ad Diploen penetrasset, ipsum cerebrum immediate adustum fuisset; nam eximiæ tenuitatis cranium fuit. An non ea de causa plures, hac ita instituta operatione, perierint cito, necesse est?

Sed 4$^{to}$ Etiam levissimo cauterii attactu validissima, nocentissimaque

ctio fit. In primo noſtro caſu levior, gravior longe in ſecundo, ſuppuratio inventa eſt, in utrisque univerſi capitis inflammatio, tum & aëris perceptibilis intra vaſa ſanguinea collectio magna, varia, in omni loco membranarum, ut ignis in liquoribus aërem, antea non ut talem, jam vero ut aërem exiſtentem, bullisque manifeſtantem ſe ſe, gignere ſolet. Hoc experti nos a leviuſcula aduſtione, quid illi a penetrantiore experti non fuerint?

5$^{to}$ Crania quævis, graviſſima æque quam tenuiſſima, ſuſpenſo tacta cauterio, intus ardent ſic, ut digitus ſuppoſitus uratur, & ni retraxeris, ejusdem ſolvatur cuticula. Hoc experimentum pluries in publico Collegio iteravi, ut plusquam 20. homines digitum ſupponentes, ilico eundem retrahere deberent. Eum in finem

nem ſumſi varias veteres calvas, tenuiores, craſſiores, interque easdem unam, cujus Bregmatum craſſities lineas quatuor æquabat. Vix per tres minuti horæ ſecundas candens ferrum os tetigerat, quin chirurgus digitum, eo tempore admotum, in bullas elevatum doleret. Ergo dura mater, & reliquæ ſubjectæ partes, plus minus adurantur, neceſſe eſt. Igiturne adeo mirum fuit, quod ambo noſtri ad uſtionem vix tenuem oſſis ſuperficiem conſumentem, ſe aduri lamentarentur, licet nec ignem videre poſſent, nec ejusdem adplicandi moniti eſſent?

6^to^ Omnes poſtmodum experimentorum occaſiones captantes, in quovis recenter oblato cranio varia exploravimus. Ubi vix tangit cauterium os, jam ab interna parte bullæ naſcuntur fervidæ, veluti quid ebulliret. Ergo in quacumque etiam le-

viſſima aduſtione ingens fervor ad interiora percipiatur oportet.

7^mo Et maximus, & perniciofiſſimus ille caloris gradus eſt, qui ab ebulliente oleo, quod fervente aqua fere triplo calidius eſt, gignitur. Varium experimentum id nos docuit. In homine recenter mortuo quatuor diverſis in plagis cranium cauterio leviter tetigimus. Inverſa tunc olla cranii flava macula in his ipſis quatuor locis inuſta erat. Inuſſimus idem alio loco ⅓ minuti, id eſt 20. ſecundarum ſpatio: vix os externum uſtum erat, quin interiora bullis flavis, fœtidisque, excoquerentur, & digitus ſuppoſitus valide exureretur.

8^vo Si ad Diploen inurere usque, ut plures Autores jubent, oportet, indigebat ferrum candens tribus, imo pluribus horæ minutis, pro diverſa craniorum craſſitudine; prout in recen-

centioribus craniis deprehendebamus, loca aduſta poſtmodum abradendo. At vero in vivis ab uſtione in uno cranio unius minuti, ſesqui minuti in altero, tranſſudans fervidum oleum uſſit jam, corrugavitque omnes meningas, & albam cætera cerebri medullam in flavam convertit. Monitos autem eos velim, qui hæc mea experimenta repetituri ſint, ut ſumant conſuetum Artificum Cauterium, ut *Aquapendens*, *Paræus*, *Hildanus*, *Scultetus* &c. deſcribunt; alioqui nollem de experimenti effectu reſpondere, ſi v. g. clavo, vel alio ferro candefacto, vel ſi non penitus ignito, cranium inurerent.

9$^{no}$ Inconſtantius quoque nihil decurſu futurarum. Sumſimus plura vetera, plura deinde ad ſingulas oblatas occaſiones crania recentia, & numeroſa inter illa deprehendimus,

in quibus ſutura coronalis pollice inferior ad frontem, vel ſuperior verſus ſuturam Lambdoidem inveniebatur. Intra hoc pollicis ſpatium ſuturæ coronales inter ſe ſe $\frac{1}{4}$ $\frac{1}{2}$ $\frac{3}{4}$. altitudinis differunt. Neque conſtanti lege ſagittalis ſutura in medio eſt. In puero mortuo os parietale ſiniſtrum longe amplius dextro. Unde cum ipſi in media linea uſtio facta eſſet, invenimus illam $\frac{1}{4}$. pollicis a ſutura ſagittali diſtantem. Nonnullis ſuturæ omnes, vel quædam deſunt, imperfecteve adſunt. In puella mortua totum os frontis, & parietale dextrum, nonniſi unicum ſolidum os fuit, ſine vel minimo ſuturæ veſtigio. Quare quod plurimi diſertis verbis ſic rem conſtanter ſe habere affirment, operationemque oportere ſemper in ipſo decuſſantium ſe ſe filorum puncto fieri, ut in ſuturarum commiſſuram ca-

cadat, inania verba ſunt, experientiæ contraria. Equidem poſſe quemquam in decem ac plures incidere calvas, quarum ejusmodi commiſſura ſit ſuturarum, inficias haud ivero, ſed concedere demum mihi debebit, quo plures Calvarias examinaverit, eo numeroſiores inter illas ſe invenire diſſimilitudines.

10$^{mo}$ Fateri oportet laudatorum Scriptorum hinc inde unum reperiri, qui operationem quidem commendans, eandem tamen remotius a ſuturis eſſe velit; ita quippe *Fallopius*: vel alium æque meticuloſum, qui ſuturas quidem, ſed non confinium ipſum binarum ſuturarum, ſuaſerit aduri. Sed priori ſatisfecimus in puero, in quo uſtio ab utraque ſutura multum diſtabat: alteri caſu auſcultavimus in puella, ubi uſtio fuit pollice altius ſutura coronali. Et ni-

hilominus utrisque hisce meticulosis casu satisfacientes, ægros utrosque morte amisimus.

§. V. Candide ergo omnibus sic expositis, quid demum consequitur? 1^mo Veterum recentiorumque complures haud ea, quæ viderint, expertique fuerint, verum ea duntaxat, quæ alibi audiverint, legerintve, scripsisse; Artem proinde istos non experientia, sed onerosis auxisse voluminibus.

2. Fuisse dubio procul, qui forte semel operationem viderint, eamque (sive quod inflammatio Meningum resoluta fuerit, sive quod meticulosior Artifex aut non penitus candefecerit ferrum, aut cranium vix tetigerit,) letiferam non fuisse; imo, quod fonticulus inde excitatus morbum levaverit, profuisse observaverint: pessime vero ex rariore observatione ge-

generalissimas regulas posteris tradidisse.

3. Qui vero pluries hanc cranii adustionem perfecerint, & non nisi faustissimam descripserint eandem, hos suos paucos fortunatos casus enarrasse modo, plures reticuisse infaustos. Eundem quippe ignem, qui nobis est, ipsis fuisse; eadem ipsis, quæ nobis, crania: effectus proinde cjusdem ignis, in consimilia crania, fuisse consimiles. Cum igitur demonstratum sit a mitiore, quam jusserint illi, inustione mortem contigisse, quid non sæpius illos letiferi observasse necesse est, qui adusserint altius?

4. Hos præprimis culpandos esse, fraudisque notandos, eo quod infortunia sua celaverint, suppresserint, conticuerint. Dum enim nihil nisi fausta cecinerint, alios ad imitandum audaces suo reddidere exemplo, eos-

demque, ut nos, sero imprudentis imitationis pœnitentes.

5. Solam proinde ac genuinam Artis promovendæ eam esse normam, qua solius amore veritatis, qua unico opitulandi studio, summo cum candore, & Christiana simplicitate, sic facta enarrentur, ut non minus infausta, quam fausta, innotescant. Quo demum efficitur id, ut, qui hos Autores consulant, maturius & secum, & cum aliis, deliberent, incertamque forment Prognosim, antequam necessitas forsitan cogeret ad similes operationes, curasve, confugere.

6. Quam triste est mores Circumforaneorum & Agyrtarum lucripetos, vaniloquos, ambitiosos, adeo multis Medicorum atque Chirurgorum inhærere animis, ut id, quod haud verbis modo, sed etiam factis vilipendunt, detestanturque, nonnunquam ta-

tamen nimio ſyſtematis ardore excæcati, turpiſſime imitentur ! Profecto non poſſumus ſufficienter nobis invigilare, ne proprio præoccupati amore, aut vana illecti gloriola & coævis inponamus, & poſteris. Ad pondus Sanctuarii omnes in Medicina & Chirurgia appendendæ ſunt obſervationes, priusquam in lucem prodeant, ut ars inde capiat augmentum. Etenim dicente veridico *Hippocrate*: „ Vita brevis , ars longa , occaſio „ celeris , experimentum periculo- „ ſum , judicium difficile. „ hinc utimur vere demonſtratis aliorum, ut tempori parcamus , hisque inſtructi, ad ulteriora invenienda , & demonſtranda annitamur. Et hisce noſtris ſuffulti Nepotes nova adjicient. At vero ſi non artis amore, ſed potius turpis lucri , immeritæ famæ , deteſtabilis in bonos invidiæ, ſtudio duci-

cimur ; ſi Peregrinatorum complurium ſimiles , mirandarum rerum magis , quam verarum , cupimus ſcriptores eſſe ; turpiter incautos decipimus in detrimentum Artis , in damnum , perniciemque mortalium, cautos vero animabimus , ut malam noſtram fidem orbi patefaciant ; quod antequam iteratis experimentis effecerint , millenos errores ii committent , qui nobis , ut candidis veritatis præconibus , fidem adhibuerint.

§. VI. Igiturne hæc operatio ex arte proſcribenda ? Et in deſperatis, aut difficillimis morbis , quorum cauſa probabiliter in capite hæret, an nihil ultra tentandum eſt ?

Ad primum reſpondeo , quia operatio multo levius inſtituta in noſtris binis ægris , quam Autores jubent, mortem utrique intulit ; quia experimenta in cadaveribus , & in ſeparatis

cra-

craniis evicere, nunquam ſine ingenti diſcrimine vitæ eam inſtitui poſſe; merito concludi poſſe, ac debere id, quod ſit ex Arte proſcribenda. Etenim rarior operationis hujus felicitas plurimorum interitum non compenſat.

Ad alterum dico *Trepanon* in hisce ſupereſſe caſibus. Eſt equidem & illud, quod ultro fatendum eſt, anceps ſæpe auxilium; eo quod Cephalearum, Epilepſiarumque cauſas, nonniſi conjecturemus in capite præſentes eſſe, vel in ea, quam ſuſpicamur, capitis plaga. Attamen incertitudinis facta prognoſi, ſi ægri velint extrema tentari, novimus per certa experimenta *Trepanon*, erudita manu adplicatum, per ſe letale nunquam eſſe; etiamſi prima terebratione irrita, altera vice, pluribusve, ad aliam cranii plagam adplicetur. Hinc, quia

non

non ſola Autorum fide, ſed quotidiana, in contuſis, ac vulneratis, experientia diſcimus non eſſe per ſe periculoſum Trepanum, ſponte admittimus, quæ *Ballonius Paradig.* N°. 19. quæ *Hollerius* Libro Obſerv. quæ *Duretus* in Annotatione in ſuam enarrationem in Cap. 2. *Holl.* de morbis internis pag. 27. quæ *Rhodius* Cent. 1. Obſerv. 69. quæ *P. Foreſtus*, Libr. 9. Cap. 2. in Scholio, aliique, tum docuerunt, tum exemplis confirmarunt. Quare perperam *Williſius* de An. Brut. Lib. 2. Cap. 2. pag. 75. Edit. in fol. ait. „ Laudari aperturam capitis a multis, ſed a nemine, quod ſciam tentatam. Ingentem *Harvæum* Nobili feminæ ob invincibilem Cephalæam propoſuiſſe, & ſpem exinde feciſſe, ſed neminem facere operationem voluiſſe. „ Utique ex allatis Scripto-

ptoribus patet sæpius fuisse eandem summo cum effectu institutam.

# CAPUT VII.

## DE PECULIARI QUORUNDAM MEDICAMENTORUM VIRTUTE.

§. I. *Ratio cur hoc anno minora numero experimenta circa Aquam Calcis, & Uvam Ursinam, describantur* §. II. *Examen an Ononis prosit calculosis? Anatome. Eadem quæstio de Raphano hortensi.* §. III. *Laus Verbenæ : eaque occasione enarratio diræ cephalææ, ad quam curandam frustra Artis fere omnis exhausta supellex.* §. IV. *Præstantia Foliorum Aurantiorum in Pulvere, & in Decocto. Admonitio de Prudentia quæ in Viribus Medicamentorum detegendis, determinandis, limitandisque, necessario adhibenda sit.* §. V. *De communibus dictis Anti-Epilepticis.*

§. I.

§. I. DE Aquæ Calcis, & *Uvæ Ursi* viribus, minus hoc anno dicendum habeo, 1^mo^ quia hominum calculo Laborantium numerus longe minor ad Nosocomium accessit. 2^do^ Quia ad facilem secandi methodum demonstrandam, & amplificandam, plures eorum, quibus ceteroqui alterutrum horum dedissem, calculo secari curavi. 3^tio^ Quoniam in his morbis etiam aliorum simplicium vires explorare animus fuit. Cæterum plures eorum, quorum, his remediis curatorum, historiam tomis præcedentibus dedi, denuo videre contigit, & perfecte sanos, omnibusque calculi symptomatibus liberos esse, constitit. Inutilia quoque hæc remedia esse, in quibus degeneres admodum systematis ouropæi partes erant, novis constitit observatis; attamen educto calculo iisdem

dem levamen hinc multum ſæpe contingere.

§. II. Caſu hiſtoriam notabilem didici effectus *Ononidis*, dictæ C. B. P. *Reſtæ Bovis*; quam Autores Medico-Botanici ab omni tempore in variis obſtructionibus, & calculo, laudarunt. Senator ille, (quem antea Cap. 3. §. 2. Hydrope pectoris extinctum conſideravimus,) longis ab annis calculi martyr, & plures minores aliquando excernens, demum a Peregrino Patre *Franciſcano* id conſilii accepit, ut pugillum herbæ *Ononidis*, cum ſemilibra aquæ pauxillum coctum, quovis mane biberet; ac primo quidem ſpatio longiore; deinde, levamine inſigni inde percepto, repeteret quater in anno idem remedium, ſpatio 14. dierum. Conſilio parens, levamen primo incredibile habuit, deinde liber ab omni calculi ſympto-

mate, per aliquot ante mortem annos, ſic fuit, ac ſi eodem laboraſſet nunquam; niſi ſemel iterumque, repetitionem remedii aut neglectu, aut ſtudio, procraſtinando.

Inſpiciendi hujus cadaveris facultatem, ut Cap. 3. jam monui, omni modo quærebam. 1$^{mo}$ Ob dubia quæpiam, quæ in Hydrope pectoris ejus occurrebant, ut Cap. 3. §. 2. monui. 2$^{do}$ Ob vires indagandas *Ononidis*, utrum nempe egiſſet modo, ut Uva Urſi, ſymptomata auferendo, an vero tollendo ipſam Diatheſin. 3$^{tio}$ An, quia ceſſantibus calculi doloribus, pulmo ægrotare cepit, calculoſa Diatheſis pulmonem obſideret, ibidemque primo Aſthma, deinde Hydropem pectoris, creaviſſet. Eximius Medicus Aulicus Nobilis a *Hentſchel*, qui tanta cum laude inclytæ Facultatis Decanatu integro triennio functus eſt, & quo-

quocum aliquoties ſuper hoc morbo in conſilium vocatus fueram, venam incidendi procuravit.

Ad prima dubia circa Hydropem pectoris reſpondi cap. 3. pag. 89.

Quoad alterum, nihil aut calculoſi, aut degeneris, in toto ſyſtemate urinario invenimus; id modo notabamus, quod Ren dexter quadruplo major, cum naturali uretere, ſiniſter Ren quadruplo minor mole eſſet. Ad tertium dubium quod ſpectat, pulmones flaccidi quidem, lividique erant; at vero quacumque in plaga examinati, nihil gerebant calculoſi, aut calcarei; neque unquam in vita quid ſimile ſputis reddiderat.

An ergo *Ononis* Diatheſin calculoſam, expulſis jam antea, qui aderant, calculis, penitus emendavit? ſuſtulit? Nunquid repullulantem eandem Diatheſin ad remedii neglectum, idem

 mox

mox ſuppreſſit ? Multiplico experimenta , ſed nondum certi quidquam determinare poſſum.

*Raphani hortenſis* ſuccum cum oleo ſumtum pag. 205. vidimus bimeſtre tempus tolerabile reddidiſſe calculoſo. Erit & hoc in aliis tentandum.

§. III. Laudanda hic *Verbena* venit, ſeu *Verbenaga* dicta, *Verbena communis flore ceruleo*, *Verbena recta* C. B. P. 246. **Eiſen-Kraut, Stal-Kraut.**

*Galenus* de comp. med. ſec. loc. Libr. 2. Cap. 2. „ Omnium porro „ maxime diſcutit, & perfecte robo- „ rat, *Verbena Recta* περιςερεὼν ὁ ὀρθος, „ maxime viridis, imo & arida, cum „ Radicibus, & ſimul cum ſerpillo „ oleo incocto . . . . quin & ipſam „ per ſe *Verbenacam*, ſi oleo incoxe- „ ris, caputque inde rigaveris, om- „ ni capitis dolori antiquo, ex fri-

„ gi-

„ giditate, aut ex craſſis humoribus
„ oborto, medeberis.

*Archigenes* inter περιάπτα hanc herbam recenſuit, quod & poſteriores; Galenus vero improbavit id. „ Li-
„ berat, ait, a capitis dolore, dicit
„ *Archigenes*, *Verbenaca herba*, quam
„ aliqui *ſacram* vocant, tum coronæ
„ modo circumpoſita, tum illita ex
„ Roſaceo & aceto: hoc auxilium
„ oportebat eum non nunc inter A-
„ muleta, ſed prius inter medicamen-
„ ta referre; ſiquidem revera ei con-
„ fidit, per longam experientiam co-
„ gnito & probato.

*Dioſcorides* Libr. 4. Cap. 50. 51. *Herbam ſacram* quam Amuleti vice adhibent, aliam *Verbenacam*, ſive περισερεὼν intelligit, non illam *Rectam*.

Cæterum *Dodonæus Verbenam* ſive *Verbenacam Rectam* ſtatuit illam eſſe,

quæ capiti applicata, ejusdem medeatur doloribus.

*Platerus* Libr. 2. Cap. 3. pag. 243. edit. in 4$^{to}$ eodem modo quo *Dodonæus* loquitur.

*Foreſtus* L. 9. in Schol. ad Obſ. 52.
„ Famulus quidam capite ſupra mo-
„ dum dolebat. Cum nulla reme-
„ dia juvarent, tandem ad collum
„ *Verbenam* viridem aliquo modo tri-
„ tam, ut ab adſtantibus non cogno-
„ ſceretur, appendebam, idque no-
„ ɛte, dormienti, & inſcio, ante-
„ quam malum invaderet: & adſtan-
„ tibus mandabam, ne æger, a ſom-
„ no ſolutus, herbam collo ſuſpen-
„ ſam dimoveret: qua hujus herbæ
„ ſolius ſuſpenſione, miraculi inſtar
„ hic æger curatus eſt. *Verbena* a
„ collo ſuſpenſa amoveri non debet,
„ niſi exſiccata tandem per ſe cadat.

Et

Et in prax. Chymiatr. *Joan. Hartmannus.* „ In omni dolore capitis „ tanquam Arcanum appropriatum, „ Aqua *Verbenæ* deſtillata commen-„ datur, ſæpe aſſumpta ad unc. IV. „ cum gtt. IV. Spir. Vitriol. juvat „ etiam *Verbena* tota contuſa, & ca-„ piti impoſita.

J. B. *Montagnanus* Conſil. 20. *Verbenam* quoque inter cephalica laudat. Cum hæc de *Verbena* inveniſſem, adplicui eandem juvenculæ, cujus caſus paulo altius repetendus eſt, ut medicamenti hujus pateat efficacia.

Hæc femina 25. annos nata, venit ad me 2. Julii 1760. præ diuturno & intolerabili capitis dolore petitura conſilium. Mater narrabat, hanc ſuam filiam ex brachio ancillæ cecidiſſe, capite in terram alliſo; natum inde apoſtema, & copioſum pus auribus effluxiſſe. Deinde ſexto vi-

tæ anno variolis eam decubuiſſe adeo malignis, ut tota fere cutis capillata capitis ſuppurando ſeceſſerit. Non recte memoria ſuggerit matri, utrum lapſui memorato, an remedio ignoto, quo cito caput infantis ſuppurans poſt variolas exſiccaverit, cauſam, originemque cephalææ tribuere debeat; cum infantes minus ſoleant conqueri, & an tunc aliquando puella conquereretur, penitus oblita ſit. Cæterum, poſt variolas meminit mater, poſt ſuum decimum annum meminit juvencula, dolores capitis frequentes dirosque adfuiſſe, verum usque ad 19. ætatis annum eosdem tantum unico ſæviiſſe die, nocte ſiluiſſe, diebusque inſequentibus pluribus, numero incertis; eodemque annorum ſpatio frequentiſſimos vomitus ac narium hæmorrhagias, capitis doloribus junctas fuiſſe, eadem forſan de cauſa bre-

brevioribus, rarioribus. Ab anno vero ætatis 19. graviores capitis dolores diuturnioresque sæviisse, cum longe rariore vomitu ac hæmorrhagia. Ab elapso biennio incepisse vomitus fieri violentos, æruginosos, quos emetico ac purgantibus & tunc sustulerit, & semianno deinde, cum rediissent. Modus porro doloris sic sē habebat nunc: Cephalæa totum quidem caput obsidebat; sinistro vero in latere vehementius; cum auditu gravi, & tinnitu auris sinistræ, cum colli dolentis, pulsantisque, Emprostotono, quando erecta est capite, haud ita quando decumbit. Tussim quoque siccam conquerebatur, cor palpitans, insomnes præ doloribus noctes, in quartum & quintum diem retardantem alvum; menses a 19. anno ætatis regulares quidem passim, spatioque 6. 7. 8. dierum fluentes, at

paucos eosdem, pallidosque; cæterum non dolentes fere; quamvis caput ſub idem tempus gravius doleret. Poſt ultimos æruginoſos vomitus a menſe Novemb. 1759. ad Apr. 1760. lecto hæſit, acerbitate dolorum, affixa. Paulo ante, quam ad me accederet, dolores vehementer poſt venæ ſectionem increverant.

Hac Anamneſi ſic adornata, & tempore meo elapſo, dedi ipſi purgans, quo: præ alvo obſtructiſſima egebat, & juſſi poſthac rediret, ut adæquatam ſi fieri poſſet, indicationem formaremus.

Non rediit porro, niſi quatuor elapſis integris poſtliminio menſibus, eo quod præ doloris perſeverantia domo exire haud potuiſſet. Hinc eam de ſalute deſperabundam blande erexi, in Noſocomio ſervavi, ejusque occaſione Diſſertationem coram Medici-

cinæ Studiosis feci, in qua a nata Medicina, in nostra usque tempora, hujus morbi causas, Symptomata, Diagnosin, Prognosin, & Curationem, expiscatus, prosequutusque sum; & circa quam ab ipso Januario usque ad Ferias majores iidem Domini Studiosi hebdomadali Disputatione inter se se disceptarunt.

Applicatis quibuscumque causis morbi, quas Anatome unquam, observatioque detexit, ad casum datum, conclusimus Cephalæam protopathicam esse, eandemque vel ex Encephali suppuratione post lapsum, vel ex maturiore capitis post cutem capillatam suppurando ablatam exsiccatione, trahere originem. Equidem in Ventriculum nonnulla, fateor, suspicio cadebat, quia toties vomitus contigerat, isque post emetica cephalæam sæpius sedasse visus erat;

erat; verum contra, ventriculus insons ab Encephalo affecto in consensum rapitur, docentibus id manifesto capitis contusionibus, & vulneribus. Præterquam quod haud raro contingat, ut causa in capite hærente proritetur ventriculus in vomitus bilis flavæ, porraceæ, isatodis, æruginosæ, (quemadmodum etiam nostra ægra aliquoties vomitu reddiderat,) a qua, inter plicas residua, ventriculus posthac leviter expurgandus sit, ni velimus eum ægrotare.

Prognosin ambiguam feci, ob morbi diuturnitatem, atque altius irradicatam ejus causam. Quum tamen Artis industria ejusmodi desperatas fere cephalæas aut egregie mitigatas, aut etiam penitus curatas fuisse constabat, varia auxilia vario ordine admovi.

Ac

Ac primo quidem arridebat Setaceum ad Nucham, quo quandam revulſionem procuraremus; eundemque in finem data ſunt purgantia Hydragoga bis in ſeptimana, dum interea Spir. Frumenti cum ſublimato, & larga Bardanæ decocta cum lacte, ad humores veteres emendandos, novosque regenerandos, perpetuo darentur. Primis 20. diebus, nihil inde, poſtmodum vero tantopere lucrata eſt, ut primo integro, dein binis, ternis, pluribusve diebus, cephalæa vacaret, ac tandem integris 5. ſeptimanis prorſum libera, ac ſaniſſima eſſet. Petivit dimitti, & remedia ſibi dari, quibus domi continuatis, corpus contra recidivam muniret. Juſſa igitur eadem continuare, & bonam ſetacei curam habere, 24. Jan. 1761. dimiſſa eſt.

Do-

Domi ſana, horum uſu, ſex ſeptimanis vixit, ſed dein in cephalæam diram remittentem quidem, ſed nunquam intermittentem, relapſa, ad 3. Martii denuo intra Noſocomium recepta eſt. Cum antiquis remediis minus feliciter continuantes, cetera Artis auxilia ordine admovimus.

Ac primo quidem Hirudines plures ad tempora frontemque adhiberi curavi, quæ cruoris quidem ſufficientem copiam, iterato ad 4. uſque diem in pleno Auditorio experimento, eduxere, haud juvarunt tamen. Unde 2do Cucurbitas tum ſiccas, tum ſcarificatas, adpoſui, fronti, vertici, temporibus; idque ad tres vices, cum debita cruoris evacuatione. Nihil inde opis. Igitur 3tio auxilium a Vena jugulari ſecta expetivimus. Etiam hinc ſpe fruſtratus 4to caput raſum emolliente Cataplaſmate totum fovi

qua-

quatriduo ; quod practici jubent eo consilio , ut ajunt , ut apertis suturarum poris via panderetur , qua prava de Encephalo exhalarent. Arteriotomen non feci , quia ea & per Hirudines , & scarificatas Cucurbitas , sufficienter facta erat. Quinto Empl. de Meliloto cum ¼ Empl. Vesic. mistum universo capiti octiduo spatio admotum est ; quo inde madente, ac stillante , pauxillum principio , nihil levaminis postliminio, percepit. Sexto *Bartholini* consilii memor , qui in *Anglia* didicerat antiquas cephalæas curari , datis quotidie aliquot guttis liquoris , qui adulta hyeme de vulnerata radice arboris *Juglandis* exstillans, appensa excipitur lagena, etiam hunc succum Puellæ non ad guttulas , sed ad duas de die uncias spatio 14. dierum, dedi.

Ni-

Nihil ergo tot tantisque proficiens, tandem *Verbenam* adhibui. Hæc 13. Aprilis ſicca appenſa collo eſt, & a 25. Aprilis recens collecta; tum & aqua ejusdem ſtillatitia ad unc. IV. de die cum gtt. IV. Spir. Vitrioli, data eſt. Subitum ſane inde levamen habuit, ſubitoque integram doloris abſentiam, ſine ulla vel unius diei recidiva, ſpatio primum duorum menſium. Tumque ipſi, indicanti mihi, quod ſemper ad ſiniſtrum oculum punctum dolens ſupereſſet, quem olim Spir. Frumenti cum ſublimato ſublatum meminiſſet, internum Verbenæ uſum detraxi, ſpiritumque hunc ſubſtitui. Continuavit domi ſuæ Spiritum, & Verbenæ Amuletum, ad diem 6. Julii, quo cephalæa rediit, dira adjuncta Cardialgia, & vomitu frequenti, cum brachiorum introtorſione inter vomendum. Purgantibus, ſcuto ſtomachi-

co,

co, paregorico, nervinis, roborantibus, & Verbena capiti adpenſa, integre convaluit ſub finem Julii, & bene hucusque habet.

§. IV. *Aurantiorum folia* uſum in Medicina pulcrum habent. Eximius Medicus, vetus meus candidiſſimusque amicus, *Haganus* Poliater, *Abr. Weſterhoff*, plusquam elapſo abhinc anno, coactus fuerat ſplendidarum perſonarum hortatu, remedium quoddam arcanum ſuſcipere, ea onerosa lege, ut quid eſſet, id, niſi conſentiente Autore, nemini patefaceret. Cum Amicorum omnia communia ſint, mihi aliquam ejusdem copiam fecit, ut data oportunitate in morbis convulſivis, in quibus non ſemper, ſed ſæpe, mirifice prodeſt, nocet vero nunquam, ut expertus teſtabatur, vim ejusdem explorarem. Offerebat ſe ſe menſe Januario cur-

rentis anni apta occaſio. Puella 18. ann. quam Materna AUGUSTISSIMÆ liberalitas, ut multos alios centenos pueros, puellasque, clam alit, convulſiones patiebatur adeo miras, adeo horrendas, ut rariſſimi ſane exempli eſſent, utque nullum genus convulſionum notum ſit, quod hic non adeſſet: nulla pars corporis libera manſit, & nova atque inſueta Symptomata ſcenam hanc terribilem fere quotidie mutabant: projectumque in altum corpus fuit ſic, ac ſi fortiſſimi viri illud in ſublime projicerent. Spatio 3. ſeptimanarum quidquid Artis, quidquid experientiæ eſſet, indefeſſa opera adplicaverat Veteranus Medicus, expertiſſimus Practicus, Dominus *ab Hentſchel*, ſed fruſtra. Cum AUGUSTISSIMÆ mandato optimo huic viro jungerer, totamque pene Artem exhauſtam fruſtra cernerem,

ſu-

ſubit ilico Arcani memoria. Collegæ narro innocuum per ſe, at ſtupendum quandoque medicamentum. Annuit. Damus. Quid plura? Scrupuli unius doſi cum potu Chocoladæ miſta primo die, quæ 12. horis integris perſeveraverant convulſiones, trihorio finiuntur; altero die ſemihora, tertio vix umbra levis malorum, prætereaque nihil; cito autem vires rediere, corpori ſua mentique alacritas. Scrupulum tamen pulveris quotidie dedi ad 14. diem usque. Exinde ſemper ſana fuit.

Induſtria ac dexteritate ſua celeber, Ocularius *Wincel*, dum hac hyeme ſuam cataractas extrahendi artem, tanta cum laude *Viennæ* exerceret, ajebat Arcanum illud *Haganum* nonniſi folia *Aurantiorum* continere, & decocti quidem forma ad Chocoladam componendam adhiberi,

at vero pulverem e foliis hisce paratum quoque ſimili potui admiſceri poſſe, ac prodeſſe. Cum id tot rationibus aſſeveraret, curavit Ill. D. *Præſes* magnam copiam foliorum ubique colligi, & ad omnia Noſocomia, Orphanotrophia, Gerotrophia, Ptochotrophia mitti, ad experimenta capienda. Dedi pulverem deſperato Epileptico ultra menſis ſpatio, ſed incaſſum. Itidem puellæ, choreæ *S. Viti* reliquiis adhuc laboranti, pulverem hunc fruſtra longo tempore dedi; poſthac vero, cum *Hagani* pulveris decem ſuperſtites ſcrupulos eidem decem diebus dediſſem, penitus convaluit. An ergo in *Hagano* pulvere quid admiſtum aliud? Nunquid ex tot *Aurantiorum* ſpeciebus determinatam ſpeciem *Haganus* habet, quæ veluti præ reliquis *Aurantiis* ſpecifica eſſet? An vero, ſi idem ſit,

hic

hic contigit, quod ſæpe, ut principio vix quid Medicina præſtet, in fine autem juvet egregie? Uſus docebit.

Decoctum illud, unde Chocolada paratur, dictante nobis egregio *Wincel*, ſic & fit, & datur. Fol. 30. 36. *Aurantiorum* cum libra aquæ coquuntur ad ⅓. conſumtionem, potumque Chocoladam inde formatum ægri bibunt, repetendo poſt 4. aut 5. dies idem. Præparata autem corpora volunt, triduo uſu aquæ mellitæ, & dein purgante: altera tunc die poſt purgans exhibent hoc medicamentum. Alii deſcripti decocti tertiam partem tribus ſubſequentibus diebus dant cum Chocolada, quam ſine adjunctis calidis eſſe jubent. Suadentque illi in lecto hunc potum ſumere, & bihorio deinde quieſcere. Porro & ternos hos potus matutinos, &

prævias purgationes, toties esse repetendas, quoties id exigit pertinacia morbi.

Optimus Medicus, integerrimus Amicus, Senator & Poliater *Haganus C. H. Velse*, communicavit mecum hanc Decocti formam. ℞. Fol. Aurantior. N° 120, (id est circiter unc. j. & dr. vj.) in Aq. pluv. unc. xx. decoque spatio 2. vel 3. horarum, vase clauso; colato adde vini rubr. unc. x. Sacchar. cononid. q. s. ad gratiam. Sumat æger bis, ter, quater, prout necessitas jubet, unc. iij. iv. quotidie, aut solas, aut mistas cum levi Chocolada. Testatur idem hocce remedium mire reficere, & roborare ægros; egregie aliquando *Colicam Pictonum* mitigare; Colicæ hujus sedare vomitus; & quæ Purgantia, atque Opiata hactenus operata non essent, ope decocti nunc ope-

operari. In Hyſtericis Convulſionibus necdum multa experimenta ſe habere, reticere ſe tamen non poſſe Notabilem caſum biennis Infantis, fatui, ut videbatur, futuri: qui anni ab illinc ſpatio levioribus Convulſionibus quotidie vexatus; a ſemianno clamoribus convulſivis, nonnunquam Epilepſiæ, quandoque Catalepſeos, contortus ſymptomatibus; ſumſerat ter die quid hujus Decocti ſpatio 20. dierum citra levamen notabile, poſthac vero eo cum effectu, ut elapſo demum menſe ne umbram quidem morbi amplius haberet, hilarisque idem, atque ingenuus, adpareret.

Profecto hujus efficaciam decocti mirificam, & ego expertus fui in viro quinquagenario, qui poſt hemicraniam in horridas faciei convulſiones 20. 30. una die repetentes, inci-

derat. Junxeratque ſe ſe ea memoriæ labes, ut noſcens, qui accederent, omnes, noſcens omnia, quæ videret, tangeretque, tamen nomina indere propria ipſis non poſſet, paſſimque per omnia balbutiret: & quamvis gallice, aut italice, interrogatus, ſi quid utcumque intelligibile reſponderet, id germanice duntaxat, præter omnem ſane morem, fuit. Unc. ij. quovis bihorio decocti datæ, ſenſim notabiliter mutarunt, tandem ſpatio ſex dierum integre ſuſtulerunt hunc morbum, cum omnibus ſuis ſtupendis ſymptomatibus, omnesque reſtituerunt functiones.

Puella 16. annorum febre ſcarlatina correpta menſe Septembri anno 1760., dein convulſione 7. Octobr. latere dextro paralytica facta eſt, & perfecte aphona. Cum nihil conſueta Artis auxilia juvarent, miſit eam Ill.

Præ-

Præſes ad meam Machinam electream. Pauxillum quidem ſpatio 6. menſium lucrabatur, ut articulare voces quasdam potuerit, ut etiam paralyſis minueretur; verum pauca illa emendatio cum non augeretur, dedi tria decocta Aurantiorum, poſteaque pulveres, interea dum ad Machinam diligenter quotidie accederet. Menſis ſpatio ſic pergens, lucratur voce incredibiliter, ut nunc ſpes ſit ejusdem reſtituendæ, & paralyſeos penitus curandæ. Obſervatio hæc incitavit me, ut cunctis, quibus vim electrinam nunc adplico, ſimul pulveres fol. aurant. darem, viſurus an plura exempla colligere queam felicioris ſucceſſus vis electrinæ ope horum.

In Epilepticis nec decocto, nec pulvere foliorum, aliquid hucusque profeci; data tamen occaſione repe-

tam experimentum, cum audio id aliis ſuccedere. In tremore poſt terrorem ſuperſtite videbar primo victor morbi futurus, deinceps vero minime, tandem vero iterum multum. Vidi a laudatiſſimo Phyſico Noſocomii civici *Schreibers* homini, choream *S. Viti* ab annis peſſime habenti, idem ultra menſis ſpatium dari, cum aliqua duntaxat emendatione in principio, ita ut levior illa emendatio non augeretur, licet idem decoctum longo temporis ſpatio continuaretur; fatendum eſt tamen inceptam illam emendationem conſtanter permanere.

Porro indigebit remedium iſtud, ut & *Verbena*, pluraque alia, maturiore ac diuturniore examine, priusquam quid certi circa idem concludatur. Nunquam enim in ſimilibus tentandis, evulgandisque, ſufficien-

ter

ter cauti esse possumus. Coævis scribimus, & posteris. Hi, institutis iisdem experimentis, aut eadem, quæ nos; aut aliter, quam nos; aut nihil omnino, quod nos; videbunt. Si nos rite, casteque & prudenter, nostra notaverimus, tam fausta quam adversa, quam inutilia, quam imperfecta; profecto dum Coætanei, serique Nepotes, eadem prudentia experimenta nostra repetiverint, idem, quod nos, semper adnotabunt.

Hoc demum modo Canones formabuntur practici, qui limitent morbos, gradusque morborum, in quibus prosit, non prosit, noceatve, medicamentum. Sin vero aut perfunctorie, aut nimis glorianter, aut immeritæ cupidine famæ, experimenta evulgaverimus, consequetur necessario id, ut nos, & præsens ætas, & posteritas, jure condemnent.

nent. Remedium ſuſtuliſſe morbum videri poteſt, nec forte ſuſtulit: ut ſi alia ſimul data fuerint, quæ emendare morbum potuerint; aut ſi periodici morbi ſint, ut plures Cardialgiæ, Cephalææ, Hemicraniæ, Arthritides, Rheumatiſmi, &c. qui vel ſponte, vel mutatis aëre, vitæ genere, alimentis, vel naturæ opera, aut mitigentur, aut ſileant, aut penitus ſæpe ſuperentur. Securos quoque nos eſſe oportet, quod ægri ſumma accuratione remedium adhibuerint; quodque non clam alia aut prætulerint, aut intermiſcuerint ſaltem, & tamen ne forte iraſcamur, neve illi careant noſtra amicitia, gratia, patrocinio, tribuant nobis gloriam curæ. Hæc ut mihi contigere, contingunt & cæteris.

Hinc monitos Lectores meos volo, ut quæ obſervata communico, ea novis

vis dignentur experimentis urgere, sique forsitan violasse hinc inde prudentiæ regulas videar, ut id publico, meo etiam expresso nomine, palam faciant. Erit profecto unde gratias illis perpetuas agam. DEO vivimus, & proximo; vivimus veritati, non patri fallaciæ & mendacii, diabolo.

§. V. Quæ Priscis Anti-Epileptica dicta, *Pæonia mas*, *Valeriana Sylvestris*, *Viscus quercinum*, pluribus experimentis etiam hoc anno factis, vere Anti-Epileptica esse novi, docui, demonstravi; at vero aut modicæ, aut nullius omnino efficaciæ esse, in multis, imo forte crebrioribus in casibus, quoque expertus dolui. Hi tamen casus non derogant illis, modo suos intra limites singuli coerceantur. *Valerianæ Sylvestris* in *Fabio* efficacia effecit forsitan, ut de-

bi-

bito celebrior illa inclarefceret ; utque fallax fæpius, vilefceret multis. Manfit tamen, æternumque Anti-Epileptica Planta manebit, fuis determinatis in cafibus. Sufpicor fimile quid fore de *Aurantiorum* foliis.